

## Dub. III. Litteralis.



**V**LTERIVS posset aliquis dubitare de eo, quod in littera dicitur: *Variatur autem illa intelligentia, cum dicitur, Deus est homo, & homo Deus.*

Sed contra: cum vtraque sit vera, Deus est homo, & è conuersò, non videtur intelligentia variari.

**DICENDVM**, quòd de Deo, vel de Dei Filio potest prædicari diuina natura in abstracto, & in concreto, quia Dei Filius est Deus, prout hoc nomen, Deus sumitur in concreto, & est ipsa Deitas sumpta in abstracto. Nam quia in diuinis est ita simplex persona, sicut essentia, ideo diuina essentia prædicatur de qualibet persona, non solum in concreto, sed etiam in abstracto, quia non solum quælibet diuina persona est Deus, sed etiam quælibet est Deitas.

Dubitatio,

Sed fortè dices, quòd persona constat ex essentia, & proprietate, vt Pater importat essentiam diuinam, cum sua proprietate, idest cum sua paternitate, & Filius dicit eandem essentiam, cum sua proprietate, idest filiatione. Propter quod dicitur quælibet persona composita ex natura, & proprietate.

Relatio vt sic nullam compositionem facit cum suo fundamento.

Ad hoc dici potest, quòd proprietas illa personalis semper est quædam relatio, vt filiatio in Filio est quædam relatio, sed relatio in diuinis, etiam vt relatio, ita distinguit ab opposito, vt nullam compositionem faciat cum suo fundamento, vt si fundamentum similitudinis est albedo, non erit aliquis compositior ex eo, quod est albus, & similis, quàm ex eo, quod est albus tantum: quia ergo fundamentum omnium istarum proprietatum est diuina essentia, vel natura, non est persona Patris compositior, ex eo quod est Deus, & Pater, quàm ex eo, quod est Deus tantum: quapropter verè dicitur, quòd persona diuina est ita simplex, sicut sua essentia, vel natura, quia (vt dictum est) relatio in diuinis, & in omnibus alijs suo modo, sic facit distinctionem ab opposi-

Relatio vt distinguit ab opposito: nõ facit compositionem nisi in supposito.

**A**to, vt nullam compositionem faciat in supposito. Paternitas enim in Patre sic distinguit Patrem à Filio, cui opponitur relatiuè, vt nullam compositionem faciat in Patre; sed Pater, & quælibet diuina persona est ita simplex, sicut sua essentia; quamuis ergo vtraque loquutio sit vera: homo est Deus, & Deus est homo, variatur tamen intelligentia istarum loquutionum, quantum ad Deum, & hominem, quia Deus est sua Deitas, sed homo non est sua humanitas, non enim prædicatur humanitas in abstracto de homine, sicut Deitas de Deo: propter quòd possunt saluari verba Magistri de variatione intelligentiæ, vt est per habita manifestum: quamuis ergo vtraque loquutio sit vera, termini tamen positi in loquutionibus, cuiusmodi sunt homo, & Deus, non similiter se habent, vt per habita patere potest.

Persona diuina è sit ita simplex vt essentia.

**B**omine, sicut Deitas de Deo: propter quòd possunt saluari verba Magistri de variatione intelligentiæ, vt est per habita manifestum: quamuis ergo vtraque loquutio sit vera, termini tamen positi in loquutionibus, cuiusmodi sunt homo, & Deus, non similiter se habent, vt per habita patere potest.

Quomodo intelligantur verba Mag. sent.

Vel possumus aliter ad quæstionem respondere, quòd variatur intelligentia istarum loquutionum, Deus est homo, & homo est Deus: ista enim est vera, & propria, Deus est homo, quia verè, & propriè, Deus est factus homo, sed non sic est vera, vel non sic est propria, quòd homo est factus Deus.

**C** Vel si volumus istis loquutionibus addere hoc participium, *prædestinatus*, dicemus è conuerso, quàm de hoc participio, *factus*. Variatur ergo intelligentia in istis loquutionibus, videlicet, Deus est homo, & è conuerso, sic enim est Deus homo, quòd etiã propriè loquendo, est factus homo, sed non sic est homo Deus, quia non propriè loquendo, est factus Deus. Vel quantum ad hoc participium, *prædestinatus*, variatur intelligentia harum loquutionum: homo est Deus, & è conuersò: quia sic homo est Deus, vt etiam propriè loquendo, homo prædestinatus sit esse Deus: non autem sic est è conuerso, quia non sic Deus est homo, vt hæc sit omnino propria, Deus est prædestinatus esse homo. Benè ergo dictum est, quòd è conuerso est de hoc participio *factus*, & *prædestinatus*. quantum ad has loquutiones, Deus est homo, & è conuerso. Nam Deus sic est homo, quod etiam propriè loquendo est factus homo, non autem è conuerso, sed è conuerso est in hoc partici-

Quomodo se habent hæc duoparticipia ad inuicem, factus, & prædestinatus.

icipio, *prædestinatus*. Nam homo sic est Deus, quod propriè loquendo, prædestinatus est esse Deus; non autem sic est è conuersò: Nam Deus non sic est homo, quod propriè loquendo, prædestinatus fit esse homo.

Dub. IV. Litteralis.



**V**LTERIVS autem posset aliquis dubitare de eo, quod in littera dicitur: *Christus est minor Patre*. Sed còtra est id, quod habetur ad Philip. cap. 2.

Philip, c. 2.

*Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, idest, Deo Patri, si ergo Christus Dei Filius, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo Patri, cum ista videantur impossibilia, quod aliquis sit æqualis alteri, & minor eo: ergo &c.*

**DICENDVM**, quod secundum alium, & alium modum non est inconueniens, aliquem esse æqualem alicui, & minorem illo, prout est in proposito. Nam Dei Filius, qui est verus Deus, cum Patre, & Spiritu Sancto, est æqualis Patri, in eo quod est Deus, & est minor Patre, in eo quod homo: Factus enim homo, & formam serui accipiens, non solum minorauit seipsum, sed quasi euacuauit seipsum, & exinaniuit: nam comparatio Dei Filij, vt est homo, non est comparatio, sicut pleni ad plenum, sed quasi vacui ad plenum, & ideo noluit dicere Apostolus, minorauit seipsum formam serui accipiès, sed ait exinaniuit, &c. Sic enim videmus

Idem respectu diuersorum potest esse æquale & maius, & minus.

in istis inferioribus, quod non solum secundum alium, & alium modum aliquid est æquale, & maius, prout est in proposito, quia Dei Filius est æqualis Patri, vt Deus, sed vt homo, est minor: Verù etiã videmus in istis corporalibus, quod idem respectu eiusdem, secundum alium, & alium modum potest esse æquale, & maius, & minus: vt duorum corporum vnum potest esse æquale alteri in longitudine, & maius in latitudine, & minus in spissitudine, propter quod ad obiectionem factam potest plenè patere solutio per iam dicta.

DISTINCTIO VIII.



**OST prædicta** *inquiri debet, &c.* Postquam Magister determinauit de his, quæ conueniunt Deo incarnato, quantum ad ea, quæ sunt quasi

**B** exprimentia vnionem. In hac octaua distinctione, determinat de eodem Verbo incarnato, quantum ad ea, quæ sunt sequentia vnionem, & diuiditur pars ista in tres partes: secundum quod tria determinat, quantum ad huiusmodi sequentia vnionem. Nam ex vnione nature diuinæ ad humanam: Primo determinat, quid ex tali vnione consequuta est natura diuina: *Vtrum propter talem vnionem posset dici esse de Virgine nata*. Secundò determinat, quid ex tali vnione consequuta est natura humana, videlicet, vt debeat ei adoratio patrie. Tertiò determinat, quid consequuta est, vel quid debetur ipsi personæ diuinæ per vnionem ad humanam naturam: quod enim debetur personæ diuinæ per vnionem, vel per comparisonem ad naturam diuinam, determinatum est in primo sententiarum libro. Secunda pars incipit ibi: *Primum inuestigari oportet*. in principio nonè distinctionis, Tertia pars incipit ibi: *Solet autem à quibusdam*. in principio decimæ distinctionis: Prima pars est presentis lectionis, & distinctionis, in qua Magister tria facit, quia primò inquit, quod consequuta est nature diuina, ex eo, quod est vnita nature humane. Vtrum propter hoc possit dici de Virgine nata, secundò obijcit contra determinata, & soluit: tertiò ex his, quæ dixerat, descendit ad ea, quæ dicenda sunt de natiuitate Christi: *vt rum ex vnione huiusmodi ad humanam naturam debeat dici Christus natus bis*. Secunda ibi: *videtur tamen posse*. Tertia ibi, *quari autem solet*. & in hoc terminatur sententia presentis distinctionis.



## DISTINCTIONIS VIII.

## Pars Prima Principalis.

## De natiuitate in generali.

## QVAESTIO VNICA.



**M** in hac distinctione fit quæstio de ipsa natiuitate, ideo circa natiuitatem tria quæremus principaliter: nam primò quæremus de natiuitate in generali, in quibus propriè habeat esse natiuitas.

Secundò quæremus specialiter de Christi natiuitate per comparationem ad vtramque naturam.

Tertiò quæremus specialiter de natiuitate Christi temporali per comparationem ad æternam natiuitatem.

Circa primum quæritur. Vtrum propriè loquendo, solis viuentibus, & non alijs competat nasci.

## ARTICVLVS I.

## ET VNICVS.

*Vtrum alijs à viuentibus competat nasci. Conclusio est negatiua.*



**D** primum sic proceditur: videtur, quòd non solum viuentibus propriè loquendo competat nasci: nam terminus natiuitas, videtur idem esse, quod generatio, sed generatio reperitur in omnibus corporibus à lunari globo inferius, & quia non omnia talia viuunt: ergo non solum viuentium, videtur esse natiuitas.

Præterea. Idem videtur esse, oriri, quod

**A** nasci, sed dicimus oriri aliqua, quæ non viuunt, quia dicimus, quòd Sol oritur, & fons oritur: ergo non solum viuentium, debet esse natiuitas.

Præterea. Videtur quòd viuere non fit solum substantiarum; quia nasci, siue oriri inuenitur in accidentibus, dicimus enim splendorem oriri à Sole, calorem ab igne, & tamen Sol, & ignis dicuntur non viuere: ergo oriri, vel nasci non est solum viuentium.

**B** Præterea. Quòd non est natum, videtur esse ingenitum, sed illa sola dicuntur ingenita, quæ semper fuerunt, sicut dicit Philosophus, quòd cœlum est ingenitum, quia secundum eum semper fuit, ergo illa solum sunt non nata, & ingenita, quæ semper fuerunt: quæcunque ergo incipiunt esse sunt nata, & genita: sed multa incipiunt esse, & desinunt esse, quæ non sunt viuentia: ergo non solum viuentibus competit nasci, nec solum viuentium debet esse natiuitas.

**C** **IN CONTRARIVM** est, quia videtur, quòd non omnium viuentium fit nasci. Nam natiuitas causat filiationem, sed filius non inuenitur in plantis, quæ tantum viuunt; ergo non omnium viuentium natiuitas erit.

Præterea. Embryo viuunt, & tamen, quandiu est embryo, non dicitur esse natus: ergo non omnium viuentium erit natiuitas.

Præterea. Quæ generantur ex causa, extrinseca, non dicuntur esse nata: sed animalia generata ex putrefactione viuunt: ergo non omnium viuentium habet esse natiuitas, nec omnia viuentia dicuntur nasci.

**D** Præterea, Spiritus Sanctus procedit à Patre, sicut viuens à viuente, nec tamen dicitur nasci: ergo non omnium viuentium debet esse natiuitas.

## RESOLVTIO

*Natiuitas, prout est nascentium generatio: seu id, quod nascitur in existente: vel quod augetur per contactum ad alterum, & dicitur connatum, vel adnatum, propriè solis viuentibus competit: similitudinariè autem, & per translationem*

*nationem de alijs etiam dicitur: quòd ex modis sumendi nomen naturæ; & ex discrimine inter generationem, ortum, natiuitatem, conceptionem, & partum, disertè ostenditur.*

**R**ESPONDEO dicendum, quòd nasci, vel natiuitas à natura dicitur esse sumptum, propterea aliqui facientes ethymologiam de natura dixerunt, quòd natura dicitur quasi nascitura, id autem videtur concordare cum verbo Philosophi, qui libro 5. Meth. volens assignare quot modis sumitur natura, assignat primum modum accipiendi naturam, idem esse, quòd generatio nascentium, vnde à nascendo dicitur esse sumptum nomen naturæ, vt dicatur, sicut dictum est, natura idem, quod nascitura. Translatio etiam commenti in idem incidit cum verbis propositis. Ibi enim assignatur primus modus accipiendi naturam, vt natura dicatur de omnibus pullulantibus, quòd quasi in idem redit, vt natura idem sit, quod nascitura, cum pullulare sit quoddam nasci; si ergo volumus benè determinare, quid sit natiuitas, & quid nasci, assignabimus quot modis accipitur natura, vt ex illis habeamus viam respondendi ad quæstionem propositam.

Assignantur autem in libro 5. Meth. cap. de natura, quinque modi accipiendi naturam, quorum primus est, natura idem est, quòd nascentium generatio: id autem, vt videtur, in idem redit, ac si diceret, primum modum accipiendi naturam, idem esse, vt natura dicatur, quasi nascitura. Secundo modo accipitur natura, prout idem est, quod id, ex quo generatur primum, quod nascitur in existente, primum autem, quod nascitur in existente, loquendo de animalibus viuentibus perfectis, est cor, vt dicatur in natura animalium perfectorum esse primum cor, quia cor primò nascitur, & primò generatur, & primò viuunt, & vltimò moritur, licet enim in animalibus perfectis tria sint membra, vel organa principalia, Cor, Hepar, & Cerebrum, quæ tria membra, vel organa principalia sumuntur.

Aegid super iij. Sent.

**A**tur, secundum tres spiritus principales, quia sunt in animalibus perfectis, videlicet, spiritus vitalis, qui est in corde, spiritus naturalis, vel nutritiuus, qui est in hepate, & spiritus sensitiuus, qui est in cerebro: Tamen si benè consideremus verba Commentatoris, in suo colliget omnes isti tres spiritus, & omnia ista tria opera, viuere, nutrire, & sentire, principaliter sunt in corde, & sunt à corde:

**B** Verum, quia opera vitæ exercet cor per se ipsum, ideo spiritus vitalis dicitur esse in corde, spiritus autem nutritiuus dicitur esse in hepate, quia opus nutritionis exercet cor, mediante hepate, non quia principaliter procedat hoc opus à corde, quam ab hepate: nam hepar in opere nutritionis sequitur organum cordis: sic spiritus sensitiuus dicitur esse in cerebro, quia opera sensus exercet cor, mediante cerebro: omnia tamen ista principaliter sunt in corde: si autem sunt in alijs, vt in hepate, & in cerebro, hoc est, in quantum sunt organa cordis, habet ergo se cor in animali, sicut cælum in vniuerso; nam sicut motus cæli in vniuerso est vita omnium existentium, vt vult Philosophus in principio 8. Physicorum, sic motus cordis est vita omnium membrorum: & sicut, si cælum ad momentum cessaret moueri, cessaret operatio omnium aliorum, & omnia hoc modo possent dici mortua: nam ignis non calefaceret, si cessaret motus cæli, vt potest patere in secundo de generatione, quæ etiam dicta Philosophi concordant cum Theologia nostra; nam cessante motu cæli, quod erit in die nouissimo, cessabit actio realis, & passio in istis inferioribus. Vtrum verò sit permansura actio, & passio intentionalis, non est præsentis speculationis.

**C** Ad præsens autem scire sufficiat, quòd cessante motu cæli cessabit actio, & passio realis in istis inferioribus, sicut cessante motu cordis, non moueretur animal, & omnia membra perderent operationes suas. Redeamus igitur ad propositum, & dicamus, quòd vno modo dicitur natura nascentium generatio, & hoc modo appellatur natura, quasi nascitura: secundo modo dicitur natura, ex quo

**D**d est

Natiuitas inde dicta.

Arist. 5. Meth. ca. 5.

Arist 5. Meth. ca. 5.

Quinque modis sumitur natura.

Cor primò nascitur, viuunt, & vltimò moritur.

Auer. in flo. Collig.

Spiritus vitalis, naturalis, & animalis sunt in corde, & a corde principaliter in hepate autem, & in cerebro, vt in organo cordis.

Cor in animali quasi cælum in vniuerso.

Arist 8 phys. ca. 1.

Cessante motu cæli omnium operationes cessarent.

Arist. 2. de Gen. ca. 62

est principium, quod nascitur in existente, secundum quem modum dicere possumus, quod natura animalis est ipsum cor. Tertio modo dicitur natura, quod est principium motus, & quietis eius, in quo est, &c. & iste modus sumendi naturam est ille, de quo agitur in secundo Physic. vt secundum alium, & alium modum motus, aliter, & aliter accipiatur natura: nam non videmus in vniuoco nisi triplicem modum motus, ad medium, à medio, & circa medium. Ad medium mouentur graua, à medio mouentur leuia, sed circa medium mouentur cœlestia: nam cœlestia non mouentur ad medium, idest deorsum, quia non sunt graua, non mouentur à medio, idest sursum, quia non sunt leuia. Mouentur ergo circa medium, quia nec graua sunt, nec leuia. Quartus autem modus accipiendi naturam, est ipsa materia, & iste modus fortè habuit ortum ab opinionibus antiquorum credentium, quod sic se haberet materia naturalium, ad naturalia, sicut artificialium ad artificialia, vt sicut tota substantia artificialium est materia, quia omnes formæ artificiales sunt accidentia, sic tota substantia, & tota natura rerum naturalium esset materia, ea autem, quæ adduntur materiæ essent quædam accidentia. Quintus autem modus accipiendi naturam, prout natura dicitur ipsa forma, & iste modus processit à rerum veritate: nam materia in tantum est natura, in quantum recipit formam, & motus, & generatio, in tantum sunt natura, in quantum sunt via in formas.

His autem quinque modis accipiendi naturam superaddit Philosophus duos alios modos, quia materia potest accipi dupliciter, vel specialiter, vel generaliter, specialiter quidem, sicut vasorum æneorum materia est æs, & operum ligneorum materia est lignum. Vel quia ista videntur esse artificialia, possumus accipere materiam specialiter in naturalibus, sicut omnium metallorum liquabilium materia est aqua: vel potest sumi materia generaliter, secundum quem modum ait Philosophus in primo de generatione: *Est autem Hyle maximè subiectum proprium susceptiuum generationis,*

**A** & corruptionis: sic etiam forma, quæ dicitur natura, potest accipi duobus modis, vel pro forma partis, quemadmodum anima rationalis est forma hominis, vel pro forma totius, quemadmodum humanitas est huiusmodi forma. Cùm ergo quæritur, vtrum solis viuentibus, propriè loquendo competat nasci, patet, quod prout sumitur natura nascentium in primo modo, prout natura est nascentium generatio, & in secundo modo, prout natura est id, quod nascitur in existente, sicut ponebatur exemplum de corde, quod est primum, quod nascitur in animali, nasci non competit nisi viuentibus, vt ex hoc dicamus, quod propriè loquendo, natiuitas, siue nasci non inuenitur nisi in viuentibus.

Possimus etiam hanc quæstionem soluere alio modo, per ea, quæ habentur ab eodem Philosopho in cap. de natura, vbi describit quid est nasci, dicens: *Nasci dicuntur quæcumque habent augmentum per alterum in tangendo, quibus conuenit connasci, & adnasci, vt embrya*: potest enim hoc modo hoc nomen, *embryo*, esse masculini generis, quemadmodum dicitur *embryo nasci in matrice*; vel potest esse neutri generis, quemadmodum loquitur Philosophus hic, vbi illud, quod nascitur in matrice vocat *embryum*, vel ea, quæ nascuntur in matrice vocat *embrya*. Si ergo nasci est augmentari per alterum in tangendo, hoc non potest competere nisi viuentibus, sed ea, quæ inueniuntur connasci, & adnasci, vt embryones, vel embrya, connascuntur, & adnascuntur matricibus, quibus coniunguntur per contactum, & fructus, & folia connascuntur, & adnascuntur arboribus, vt ex hoc fit clarus textus Philosophi, quod nasci dicuntur quæcumque habent augmentum per alterum in tangendo, secundum quæ sumitur connasci, & adnasci: nam sicut arbores hoc modo habent augmentum per alterum in tangendo, quia fructus, & folia sunt quid alterum ab arbore, & cùm talia adnascuntur, & connascuntur arboribus, & ex eis arbores augmentantur; sic etiam embryones, vel embrya sunt quid alterum à matricibus; & cùm talia adnascun-

Arist. 2. phy  
sic. tex. 3.

Triples mo-  
tus a Me-  
dio: ad Me-  
dium; &  
circa Me-  
dium,

Quomodo  
tota substā-  
tia artif-  
cialium sit  
materia.

Quid sit na-  
sci, conna-  
sci, & adna-  
sci secun-  
dum Arist.

Aristot. in  
lib. de ani-  
malib.

nascuntur, & connascuntur matricibus A  
matrices augmentantur. Propter quod  
Philosophus in libro de animalibus eun-  
dem modum ponit de fructibus, siue  
de pomis, & de embryjs, siue de em-  
bryonibus: colligantur enim embrya ma-  
trixibus cum quibusdam conchilidoni-  
bus, sicut fructus, vel poma colligan-  
tur arboribus, & sicut quando fructus,  
vel poma sunt matura, tollitur illa colli-  
gatio, & fructus cadunt ab arboribus,  
sic quando maturi sunt foetus, franguntur  
illi conchilidones, & foetus cadunt à ma-  
trixibus. Et quia hoc modo augmentari B  
per contactum, vel connasci, vel adnasci  
arboribus, vel matricibus, cum hoc non  
reperiantur, nisi in viventibus, bene di-  
ctum est, quòd nasci non competit nisi vi-  
uentibus.

Discrimen  
inter Gene-  
rari, Oriri,  
Nasci, Con-  
cipi, & Par-  
turi.

His itaque transcurfis, narrabimus  
quinque, quæ reperiuntur circa talia, &  
assignabimus differentiam circa ea, nam  
aliqua dicuntur generari, aliqua oriri, ali-  
qua nasci, aliqua concipi, aliqua parturi-  
ri: generari dicuntur quæcunque mutant  
substantialem formam, & ideo siue sint  
viventia, siue non viventia, quæcunque C  
sunt infra spheram actiuorum, & passiuo-  
rum, quia possunt perdere substantialem  
formam per corruptionem, & acquirere  
aliam nouam substantialem formam per  
generationem, ideo omnibus talibus com-  
petet generatio, & corruptio: sic ergo  
sumitur generatio.

Sed ortus, siue oriri dicitur aliquid,  
prout de occulto venit ad manifestum, se-  
cundum quem modum etiam non viuentia  
dicuntur oriri, vt fontes dicuntur oriri,  
quando exeunt de occultis venis terræ, &  
Sol dicitur oriri aliquibus, quando inci-  
pit apparere super eorum emispermum. ;  
sic ergo loqui possumus de generari, &  
oriri: sed quomodo debemus loqui de ip-  
so nasci, patet per dicta: quia nasci non  
competit nisi viventibus, nam illa dicun-  
tur nasci, quæ augmentantur per alterum  
in tangendo, quibus viventibus, & na-  
scentibus alia adnascuntur, & connas-  
cuntur, vt folia, & fructus arboribus; &  
embrya matricibus. Generaliter ergo vi-  
uentibus omnibus comperit nasci: sed  
concipi, & parturiri videtur esse proprium  
animalium habentium duas natiuitates,

Aegid. super iij. Sent.

vnam in vtero, per quam dicuntur con-  
cipi, & aliam extra vterum, per quam di-  
cuntur parturiri: Ex his tamen ista trans-  
feruntur ad alia; nam ipse sermo, quan-  
do est occultus in corde, dicitur conce-  
ptus, iuxta illud verbum Eliud, quod ha-  
betur in Iob cap. 4. *Conceptum sermonem  
retinere quis poterit?* Sic etiam quando  
aliqui magna minantur, & parua faciunt,  
dicuntur parturire ridiculum niurem: iux-  
ta illud, quod habetur in Aesopo: *Par-  
turient montes, & nascetur ridiculus mus:*  
quantum ergo ad quæstionem principaliter  
propositam, patet quòd nasci non  
competit nisi viventibus.

Iob. c. 4.

Aesopus.

RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum patet solutio per iam di-  
cta. Nam generatio est in plus, quàm na-  
tiuitas, & generari in plus, quàm nasci;  
nam omnia, quæ sunt in spherâ actiuo-  
rum, & passiuorum, tam viuentia, quàm  
non viuentia possunt dici generari, & cor-  
rumpi.

Negatur ma-  
ior argumē-  
ti: quia in  
plus se ha-  
bet genera-  
tio quàm  
natiuitas.

Ad secundum patet solutio, etiam per  
iam dicta, quia ad oriri sufficit, vt de  
occulto veniat ad manifestum, & ideo  
fons dicitur oriri, cum exit de occultis  
meatibus terræ, & Sol dicitur oriri ali-  
quibus, cum ascendit super eorum emi-  
spermum.

Negatur ma-  
ior argumē-  
ti propter  
rationē ad-  
ductam in  
responsione.

Ad tertium dicendum, quòd in talibus  
multa dicuntur per similitudinem, pro-  
pter quod accidentia, quæ sunt in essen-  
tialibus principijs rerum dicuntur oriri in  
quantum de principijs illis, vbi erant in  
occulto incipiunt apparere manifestè, &  
hoc modo possunt dici nasci, in quantum  
adherent suo subiecto, sicut foetus adhe-  
ret matricibus, & folia, & fructus arbo-  
ribus; sed ista dicta sunt per quandam  
similitudinem, non secundum proprietatem  
vocabuli.

Nasci dupli-  
citer, vel  
secundum  
rei proprie-  
tatem, vel  
secundum si-  
militudinem:  
secundo mo-  
do competit  
accidentibus,  
non primo  
modo.

Ad quartum dicendum, quòd ingeni-  
tum potest negare omnem mudum gene-  
rationis, specialem, & generalem, & sic  
nascencia non opponuntur ingentis, cum  
habeant specialem modum generationis,  
qui competit solis viventibus, & hoc mo-  
do loquitur Philosophus, qui coelum di-  
cit ingentum, & omnia corpora perpe-

Ingenitum du-  
pliciter su-  
mitur, vel  
pro negatio-  
ne generatio-  
nis gene-  
raliter, &  
specialiter:  
vel pro ne-  
gatione ge-  
nerationis  
generaliter  
tamen, & non  
specialiter,  
primo mo-  
do loquitur  
Arist. & co-  
clusio tenet  
secundo hab-  
do

tua vocat ingenita : sed hoc argumentum non obuiat nobis ponentibus , quòd solis viuentibus competit nasci , quibus competit specialis generationis modus . Soluenda sunt etiam argumenta in contrarium .

RESP. AD ARGUMENTA  
quæ adducta sunt in contrarium.

Ad filiationem requiritur per se existentia , & complementum in eadē specie cū generante : non autē ad natiuitatem .

Ad primum ergo , cum dicitur : quorum non est filiatione , non est natiuitas : dici debet , quòd ad filiationem plura requiruntur , quàm ad natiuitatem . Nascuntur enim folia , & fructus de arboribus , tamen non sunt filij arborum : nam ad filiationem requiritur , vt sit per se existens , & quod sit quid completum in eadem specie cum generante , propter quod folia , & fructus non sunt filij arborum , & oua non sunt filij auium .

Concepta sūt occulta : nata sūt manifesta .

Ad secundum dicendum , quòd nasci , distinguitur à conceptu , vt patet per habita , quia concepta sunt propriè occulta , sunt autem nata , quæ sunt viuentia , & sunt manifestè producta : cū igitur sunt in vtero , non possunt dici nata simpliciter , sed nata in vtero , vel non possunt dici nata simpliciter , sed concepta .

Negatur maior argumenti , quia etiam generata ex putrefactione dicitur nasci , licet per alium modum natiuitatis .

Ad tertium dicendum , quod animalia generata ex putrefactione , etiam propriè possunt dici nasci ; habent tamen alium modum natiuitatis , quàm alia , nam ibi propriè est corpus coeleste , quia plantæ , & herbæ possunt ex putrefactione nasci , & oriri , vbi Sol se habebit , vt pater , & terra , vt mater : propter quod ab aliquibus Sol vocatus est pater plantarum , & terra mater ; sic etiam dicamus de animalibus natis ex putrefactione , quia Sol est quasi eorum pater , & illud , quod putrescit , est quasi eorum mater , quare sicut plantæ propriè viuunt , & propriè dicuntur nasci , non obstante , quod possint nasci ex putrefactione , sic & aliqua animalia , vt muscæ , vel mures etiam propriè viuunt , & propriè dicuntur nasci , non obstante , quòd nascantur ex putrefactione . Sunt enim duo generamurium , quidam nati ex putrefactione , & quidam ex coitu ; nati autem ex coitu sunt magni , & comedunt alios mures

Quæ nascuntur ex coitu sunt eiusdem speciei cum natis ex putrefactione , quorum Sol est pater , & terra mater .

A paruulos natos ex putrefactione , nec sunt eiusdem speciei isti , & illi , omnibus tamen his non obstantibus , ex quo omnia talia propriè viuunt , etiam propriè loquendo possunt dici nasci .

Ad quartum autem quod obijcitur de Spiritu Sancto , dici debet , quod Spiritus Sanctus procedit per modum voluntatis , & procedit , vt amor , ideo dicitur non procedere , vt natus , sed vt datus , & donum , quia amor est primum donum , in quo dantur omnia dona ; verum quia in diuinis sunt omnia simplicia , & idem est

B ibi voluntas , quod natura , si communicatur Spiritui Sancto , quod est voluntas , communicatur ei quod est natura . Ex modo ergo suo procedendi , Filius procedit , vt natus , quia procedit per modum intellectus , & vt Verbum , sed Spiritus Sanctus procedit per modum voluntatis , & vt amor . Verum licet quantum ad modum procedendi sit differentia inter Filium , & Spiritum Sanctum : tamen quantum ad id , quod communicatur eis per talem processionem non est differentia . Ad formam autem arguendi , quòd Spiritus Sanctus procedit vt viuus à viuente , vel viuentibus , dici debet , quòd hoc non habet vt amor , sed vt amor diuinus , vbi propter simplicitatem omnia sunt idem , quod natura diuina : & cū natura diuina sit quid viuens , omnes personæ diuinæ qualitercunque procedunt , dicuntur viuere . In creaturis ergo solum viuentium , & omnium viuentium est natiuitas . Sed ex hoc procedere ad diuina , & arguere Spiritum Sanctum esse natum , quia vt viuens procedit à Patre , & Filio viuentibus , non possumus . Nam hoc sequitur non propter vim argumenti , sed gratia materiæ , in qua arguitur , id est propter diuinam simplicitatem , vbi omnia sunt idem , & omnia transeunt in diuinam substantiam , vel naturam .

Spiritus S. procedit vt viuus à viuente , non ex vi suæ processionis vt amor est : sed vt amor diuinus est .

C



DISTINCTIONIS VIII.

Pars Secunda Principalis.

*De temporali natiuitate Christi per  
comparationem ad natiuitatem  
humanam.*

QVAESTIO VNICA.



**D**OSTQVAM  
quæsiuimus de B  
natiuitate, siue de nasci generaliter. Vtrū natiuitas, siue nasci cōpetat solis viuētibz, volumus quærere de temporali natiuitate Christi, per comparationem ad eius natiuitatem humanam.

Primò. Vtrum propter talem natiuitatem, humana natura Christi, siue humanitas Christi debeat dici nata.

Secundò quæritur de præfata natiuitate per comparationem ad naturam diuinam. Vtrum propter talem natiuitatem Christi, natura eius diuina debeat dici nata.

Tertiò quæritur de temporali natiuitate Christi per comparationem eius ad naturam diuinam, Vtrum propter talem natiuitatem debeat dici, quòd humana natura sit facta homo.

ARTIC. I.

*Vtrum natura humana sit nata in  
Christo. Conclusio est negatiua.*

D. Thom. 3. p. q. 35. ar. 1. Caiet. Medina. ibidem. Aelstius in 3. d. 8. §. 1.



**D** primum sic proceditur. Videtur quòd natura humana sit nata in Christo: nam, vt potest patere ex habitis, illa sola dicuntur de persona, vel de supposito, & non de natura, quæ competunt Aegid. super iij. Sent.

**A** solùm per se existenti, sicut est esse hypostasim, vel rem naturæ: sed nasci competit etiam rebus, non per se existentibus, quia capilli, qui possunt dici pars hominis, dicuntur nasci, quamuis non per se existant: ergo non obstante, quòd natura humana in Christo non per se existit, poterit dici nasci, & de Virgine nata.

Præterea. Id, quod est per se intentum à natura generante, verè, & propriè dicitur nasci: sed vt habetur in sex principijs: *Natura in his operatur occultè: vnum intendit, & aliud facit.* Intendit enim generare hominem, facit tamen, & generat hunc hominem: ergo quia ipse homo est intentus à natura, & non hic homo particularis, videtur quòd natura intendit generare naturam, & non suppositum, vel personam.

Præterea, secundum Philosophum, idem specie est quod generat, & quod generatur: sed naturæ est generare, quia (vt ait Damasc. lib. 1. cap. 8.) *Generatio est opus naturæ: si ergo naturæ est generare, eius est generari, & nasci.*

**C** Præterea. Christus non dicitur natus de Virgine, nisi secundum id, quod de Virgine accepit: sed non accepit de Virgine, nisi naturam humanam: ergo natura humana est de Virgine nata.

Præterea. Omne, quod incipit esse ex aliqua materia, dicitur generari, & nasci ex materia illa: sed ex purissimis sanguinibus Virginis incoepit esse humana natura in Christo: ergo ex talibus sanguinibus est humana natura generata, & nata.

**D** IN CONTRARIUM est Damascen. lib. 3. cap. 33. vbi ait: *Non est natura nasci, sed hypostasis: ergo &c.*

Præterea. Sicut se habet diuina natura Christi ad eius generationem, vel natiuitatem æternam; ita se habet eius natura humana ad temporalem: sed diuina natura Christi non dicitur esse genita, vel nata per eius generationem æternam, ergo nec humana per temporalem.

RESOLVTIO.

*Nasci propriè est solius suppositi, quia ei tantum competit per se esse, agere, & pati. Naturæ autem impropriè, &*

Gilbert. Porret. in sex princ.

Arist. 7. Meteor. cap. 28. 29.

Damasc. lib. 3. c. 33.



*communiter, quia non est per se, sed in supposito, neque agit, aut patitur, sed est ratio agendi, & patiendi, & per generationem communicatur.*

RESPONDEO dicendum, quòd generari, & nasci terminatur ad esse, est enim generatio via in esse, ergo sicut loquimur de esse alicuius, ita debemus loqui de eius natiuitate, vel generatione. Ea ergo, quæ non habent per se esse, non habent per se generari, vel nasci, sed humana natura in Christo non habet per se esse, ergo nec per se generari, vel nasci.

Quæ nõ sũt per se, neq; per se generantur.

Natura non agit, sed ratio est agendi.

Damas. lib. 3. c. 34.

Possumus autem ad hoc adducere aliam rationem: nam sicut aliud est quod agit, & aliud, quod est ratio agendi, sic aliud est, quod nascitur, & aliud, quod est ratio nascendi. Natura enim, vel forma non agit, cum sit ratio agendi, sed ipsum suppositum agit: sic natura non nascitur, nec generatur, sed ipsum suppositum nascitur, & generatur. Natura autem, vel forma, quæ accipitur per generationem, potest esse ratio nascendi, vel generandi, & hanc rationem tangit Damasc. lib. 3. cap. 34. vbi vult, quòd suppositum agat; forma autem sit ratio agendi, pari ergo ratione, suppositum ipsum generatur, & nascitur, forma verò, vel natura potest esse ratio nascendi, vel generandi, immò si volumus hanc materiam benè prosequi in alijs puris hominibus assignabimus duplicem formam, vel naturam, vnã in patre carnali, & aliam in Filio: Natura, vel forma in patre carnali non generat, sed est ratio, quare generatio fiat, sic & in Filio natura humana non generatur, sed per generationem communicatur.

Nec forma, nec materia per se generantur: sed solum compositum.

Possumus autem ad hoc idem adducere tertiam rationem ex parte materiæ, sicut adducta est secunda ex parte formæ. Nam sicut forma non agit, sic nec materia patitur, sed suppositum est, quod agit, & quod patitur, quia agit per formam, & patitur per materiam, sic materia non generatur, cum sit sub forma, nec forma generatur nisi in materia, sed materia sub forma, & forma in materia dicunt ipsum suppositum, vel ipsum compositum, ergo ipsum suppositum, vel compositum, est illud, quod generatur,

A & nascitur, materia autem, & forma per se non generantur, sed generantur generatione suppositi, vel compositi.

Sed dices, quòd id totum ratione compositionis possumus saluare in ipsa natura: nam natura hominis, est humanitas, quæ est composita ex materia, & forma, siue ex corpore, & anima: ergo cum compositum fiat ex generatione, saluare poterimus, quòd ipsa natura composita ex materia, & forma nascitur, vel generatur. Sed si benè intelligamus præhabita, cessat obiectio: nam ideo dicimus, quòd per se non generatur natura, sed suppositum, quia generatio est via in esse: cui ergo non competit per se esse, nec per se generari: multò magis non competit ei per se nasci: nam cui non competit genus, non competit species, quod enim non est animal, non est homo; cum generari ergo sit generalius, quàm nasci, cui non competit per se generari, non competit per se nasci. Natura ergo humana in Christo, quia non habet esse, sed habet esse in supposito, non habet per se generari, nec per se nasci: sed si generatur, vel nascitur, hoc est in supposito: igitur per se loquendo, hæc non est vera, quòd natura humana in Christo sit generata, vel nata.

Obiectio.

Solutio.

Cui non competit genus species competere non potest.

C Possumus rursus ad hanc eandem questionem adducere verba Philosophi in 1. de Anima, dicentis, *Qui dicit animam intelligere, dicit eam texere, vel ædificare.* Ad quòd exponendum ait Commentator, quod si videremus membra, vel organa interiora, sicut est imaginatio, & phantasia, quæ laborant intelligendo, sicut videmus membra, & organa exteriora, quæ laborant in texendo, & ædificando, sicut non dicimus animam texere, vel ædificare, sic non diceremus animam intelligere: sed licet ista sit pulchra deductio, non est tamen sufficiens expositio: namq; non solum, quia membra interiora laborant in intelligendo, sicut membra exteriora laborant in texendo, & ædificando, ideo non dicimus animam intelligere, sicut non dicimus eam texere, vel ædificare, sed etiam, quia quod non habet per se esse, non habet per se agere: quandiu ergo anima est coniuncta corpori, quia non habet per se esse, non habet per se agere: potest enim anima, quæ est forma

Arist. 1. de Anim. t. 64.

forma hominis esse ratio intelligendi, vel A  
agendi, sed non potest esse id, quod in-  
telligit, vel agit, siue loquamur de actio-  
nibus exterioribus, sicut est texere, vel  
ædificare, siue de actionibus interioribus,  
sicut est intelligere, & velle, vel etiam  
imaginari: Anima non texit, non ædifi-  
cat, non imaginatur: omnia ergo hæc ani-  
ma non agit, sed homo per animam, quia  
non agit forma, sed suppositum per for-  
mam, nec patitur materia, sed suppositum  
per materiam: & hæc est mens Phi-  
losophi: Nam cum prius dixisset, *Si quis  
dicit eam intelligere, dicit eam texere, vel* B  
*ædificare*, postea subdit: *non hæc anima*,  
idest non agit hæc anima, *sed homo per  
animam*: quapropter satisfactum est quæ-  
stioni, cum quæritur: Vtrum per tempo-  
ralem natiuitatem Christi posset humana  
natura dici de Virgine nata, vel genera-  
ta: patet enim quod non, quia generari,  
vel nasci est hypostasis, vel suppositi, non  
autem naturæ.

Aduertendum tamen propter argu-  
menta, quod generari, vel nasci, possunt  
fumi dupliciter, vel vt dicatur nasci,  
seu generari illud, cui per se competit ge-  
neratio, vel natiuitas: & sic persona, C  
vel suppositum est illud, quod generatur,  
& nascitur, non natura: quia non natu-  
ræ, sed supposito competit per se esse, &  
per consequens competit per se generari,  
vel nasci, quæ sunt via in esse: sed si su-  
mantur generari, vel nasci, prout idem  
sunt, quod per generationem, vel natiui-  
tatem communicari, tunc hæc poterunt  
competere naturæ, vt dicatur humana  
natura Christi esse de Virgine generata,  
vel nata, quia huiusmodi natura per ge-  
nerationem, & natiuitatem est Christo D  
communicata.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum, cum arguitur de parte,  
quia quædam, quæ possunt dici pars ho-  
minis, vt capilli, non obstante, quod non  
per se existant; dici debet, quod de parte  
possumus loqui dupliciter, quoniã duplex  
est pars substantiæ, vna secundum quan-  
tita-  
tem, & hæc vel subsistit solum in po-  
tentia, vt in continuis, vel etiam subsistit

Pars quan-  
titatiua sub-  
sistit poten-  
tialiter in  
continuis,  
æqualiter  
in conti-  
guis.

in actu, vt in contiguis. Tales ergo par-  
tes possunt dici fieri, vel nasci, & potis-  
simè, quando adiunguntur toti, vel na-  
scuntur post natiuitatem totius. nam se-  
cus esset si nascerentur, cum nascitur to-  
tum, quia tunc nascerentur generatione  
totius; secus autem est, quando nascun-  
tur, vel generantur, postquam totum est  
generatum, & natum, sicut sunt pili bar-  
bæ, qui dicuntur nasci, etiam propriè lo-  
quendo, quando incipit homo habere  
barbam; Et si hoc est in partibus conti-  
nuis, qui pili continuantur ipsi barbæ,  
multò magis est hoc in partibus conti-  
guis, quia si fieret aliquod totum conti-  
guum, per cumulationem multarum re-  
rum, possent aliquæ de illis partibus per  
se corrumpi, & generari. Hoc ergo mo-  
do loquendum est de partibus continuis,  
& contiguis: nam partes contiguæ cum  
habeant per se esse, possunt eis hæc per  
se competere: partes verò continuæ, & si  
non habeant, per se esse in actu, possunt  
per se habere esse in potentia. Nam ali-  
quæ partes continuæ separatè à toto vi-  
uunt (vt apparet in quibusdam animalibus,  
quorum partes incisæ à toto, adhuc  
mouentur, & viuunt) Talibus enim par-  
tibus non est inconueniens, quod compe-  
tat eis per se nasci, & renasci, vt capilli  
postquam sunt euulsi, & lacerta, postquam  
est incisa sibi cauda, multoties renascitur  
ei: Sic ergo loquendum est de partibus  
quantitatiuis, respectu totius integralis:  
sed præter has partes, reperiuntur partes  
essentiales, sicut materia, & forma sunt  
partes essentielles cuiuslibet compositi ex  
eis: tales autem partes non habent per se  
esse, nec in actu, nec in potentia: Materia  
enim non potest esse separata ab omni  
forma, nec forma potest habere esse sine  
sua materia: & si inueniatur aliqua forma,  
quæ possit habere esse sine sua materia,  
sicut est anima intellectiua, quia intelle-  
ctus, secundum Philosophum, separatur  
ab alijs, sicut perpetuum à corruptibili:  
tali formæ nec competit per se fieri,  
saltem per creationem, quia anima intel-  
lectiua creando infunditur, & infunden-  
do creatur: patet ergo quid dicendum sit  
de productione partium, & quomodo par-  
tibus potest competere fieri, vel nasci, sed

Partes sũt  
in duplici  
differenciã,  
quantitati-  
uæ, & essen-  
tiales: illæ,  
vel sunt cõ-  
tinuæ, & sic  
habent per  
se esse potẽ-  
tialiter: vel  
cõtiguæ, &  
sic habent  
per se esse  
actualiter,  
propterea  
dicitur na-  
sci. Essentia-  
les sunt ma-  
teria, & for-  
ma, ex qui-  
bus natura  
humana cõ-  
ponitur, cui  
per se esse  
competere  
non potest,  
& ita neq;  
nasci.

ex talibus velle descendere ad ipsam naturam, de qua loquimur, vt ipsi naturæ possit competere fieri, vel per se nasci, sicut primum argumentum quæstionis propositæ concludebat, patet tale argumentum non concludere veritatem, quia naturæ creatæ, vt est humanitas, de qua loquimur, nunquam potest competere per se esse, nec per se produci, sed semper producit in supposito, in quo habet esse, vel sine quo non potest habere esse: & si illa natura humana non fuisset assumpta à Verbo, constituisset per se suppositum: Nam etiam hoc modo non per se, sed in supposito habuisset esse.

Naturā intendere in generatione ipsam naturam dupliciter, vel in suis suppositis, vel excludendo supposita, primo modo est verū, secundo modo est falsū quia impossibile.

Arist. in prædicam. sub stan.

Naturæ est generare vt ratio generandi, non vt suppositum.

Ad secundum dicendum, quod natura intendit per se hominem, non hunc hominem: quia homo semper est, sed non hic homo: Et si sunt aliquæ res, quæ etiam vniuersaliter sumptæ, non semper sunt, sicut rosa, & talia, semper tamen ista sunt in suis causis, vt suo tempore producantur naturaliter à suo agente naturali; sed talia, si benè intelligantur, non obuiant dictis nostris: Dicamus ergo, quod dato, quod natura intendat hominem, & non hunc hominem, & dato, quod ibi homo sumatur pro natura humana, tamen non potest natura intendere naturam humanam, etiam vniuersaliter sumptam, nisi eo modo, quo potest habere eam, sed non potest habere eam, nisi in suis suppositis, ideo intendit naturam, vt habet esse in supposito, atque idcirco dicitur in prædicam. quod *Omnia sunt in primis*, id est in suis indiuiduis, & suppositis, & *Destructis primis, impossibile est aliquid eorum remanere*: Naturæ ergo secundum se, loquendo de natura creata cuiusmodi est humanitas (de qua est quæstio nostra) non potest competere per se esse, nec potest ei per se competere, quod sit nata.

Ad tertium dicendum, quod naturæ est generare, non quia ipsa generet, sed quia generare, & generari competunt supposito, & non naturæ; pro tanto autem dicitur natura generare, quia virtute ipsius fit generatio, vel dicitur generare, quia est ratio generandi, quod concedimus de forma, etiam non per se existere, quamuis enim non competat ei per se agere, quia

A non competit ei per se esse, est tamen ratio agendi, quia est ratio, quod suppositum agat. Et ideo dicit Philosophus in 1. de Anima, quod *anima non texit, non adificat, non intelligit, & vniuersaliter loquendo, non agit, sed homo per animam*. Non enim agit forma, sed suppositum, agit per formam. Ipsa tamen forma est ratio, quare suppositum agat. Et sicut non agit, sed est ratio, quare suppositum agat, sic non generat, nec generatur, sed est ratio, quare suppositum generet, & generetur.

Arist. 1. de Anim. t. 64.

B Ad quartum dicendum, quod sicut Christus dicitur homo ratione humanæ naturæ; ipsa tamen humana natura non est homo; ita etiam dicitur nasci ratione humanæ naturæ, quam accepit ex Virgine; ipsa tamen natura propriè, & simpliciter loquendo non dicitur esse de Virgine nata: istud ergo quartum argumentum habet eandem difficultatem cum tertio: nam humana natura, siue humanitas, quæ dicitur esse forma totius, quia non habet per se esse, non habet per se agere; est tamen ratio agendi, vel est ratio, vt suppositum agat; sicut etiam, per se loquendo, non generat, nec generatur, sed est ratio quare suppositum generet, & generetur. Nam in patre carnali natura est ratio vt generet, quia generat, suam naturam communicando filio, & filius carnalis generatur, accipiendo suam naturam à patre: natura ergo humana non potest dici per se generata, aut nata, sed potest dici ratio generatiua, siue actiue, siue passiue sumpta.

Christus dicitur nasci ratione humanæ naturæ: ipsa tamen humana natura non propriè dicitur nata, nisi vt ratio.

D Ad quintum dicendum, quod cum per se loquendo, esse non sit naturæ, sed suppositi, natura humana non propriè inceptit esse, sed Christus inceptit esse in tali natura, & ex hoc non propriè arguitur, quod natura sit nata, sed suppositum est naturum, accipiendo naturam.

Natura propriè non inceptit esse, sed suppositum in tali natura.



ARTIC. II.

*Utrum per temporalem Christi natiuitatem ex Virgine, natura diuina possit dici nata de Virgine. Conclusio est negatiua.*



**SECUNDO** quaeritur. Utrum per temporalem natiuitatem Christi ex Virgine, natura diuina possit dici nata de Virgine. Et videtur, quod sic, nam

Christus non dicitur natus ex Virgine, nisi quia est incarnatus, & assumpsit carnem de Virgine: sed natura diuina potest dici incarnata, vt supra patuit distinct. 5. ergo si potest dici incarnata, potest dici de Virgine nata.

Præterea, Quicquid prædicatur de aliquo in recto, quod dicitur nasci, illud etiam quod sic prædicatur, dicitur etiam nasci. Nam quia de Petro prædicatur in recto, quod est homo, & quod est animal, si verum sit dicere, Petrus est natus, verum erit dicere, quod natus sit homo, & natum sit animal, & nata sit substantia: Si ergo verum est dicere, quod Dei Filius est natus ex Virgine, cum de Dei Filio prædicetur Deitas in recto, quia Dei Filius est sua Deitas, verum erit dicere, quod Deitas est nata ex Virgine.

Præterea. In Filio Dei non est accipere essentiam, & proprietatem: sed absurdum videtur dicere, quod ratione proprietatis, Dei Filius esset natus ex Virgine, quia proprietatis illa non est nisi quædam relatio, secundum quam refertur ad Patrem, qui genuit ipsum sine matre, ergo dicitur Dei Filius genitus ratione naturæ, & tunc idem quod prius, quia videtur ex hoc sequi, quod natura Filij Dei sit ex Virgine nata, vel genita.

Præterea Augustinus in lib. de fide ad Petrum ait, *neque enim natura æterna, atque diuina temporaliter concipi, & temporaliter nasci ex humana natura, vllatenus possit, nisi per susceptionem veritatis humane.* videtur ergo velle, quod natu-

**A** ra diuina, suscipiendo veritatem humanitatis ex Virgine, sit ex Virgine nata.

**IN CONTRARIUM** est, quia si natura diuina esset ex Virgine nata, cum natura diuina sit communis omnibus tribus personis, ergo omnes tres personæ essent de Virgine natæ, quod dicere est erroneum in fide.

Præterea dicitur Ioann. I. *Verbum caro factum est*, idest factum est homo: sed vt dicit Augustinus: *Filius est eò Filius quò Verbum, & eò Verbum, quò Filius: Si ergo Verbum est factum homo, solus Filius est factus homo, & solus Filius est de Virgine natus, natura ergo diuina non debet dici de Virgine nata.*

Io. c. 1.

D. P. Aug. lib. 6 de Trinit. cap. 24 tom 3.

**B** A ra diuina, suscipiendo veritatem humanitatis ex Virgine, sit ex Virgine nata.

RESOLVTIO.

*Propter temporalem Christi natiuitatem, dici non potest natura diuina de Virgine nata: tum quia, cum non dicatur nata de Patre æternaliter, multò minus dici potest nata de Matre temporaliter: tum etiam quia sicut natura humana non dicitur propriè nata de Virgine, eo quod nasci competit supposito, non nature; à fortiori neque natura diuina propriè nata, dici potest: tum denique, quia natura diuina non est à Virgine ipsi Christo: propter quod infertur eam, neque communiter loquendo, posse dici natam, sicut concedi potest de natura humana respectu Matris, & de natura diuina respectu Patris.*

**RESPONDEO** dicendum, quod triplici via possumus ostendere, naturam diuinam non debere dici de Virgine natam, prout natura diuina, quantum ad præsens spectat, ad tria potest comparari, videlicet ad natiuitatem humanam, & ad natiuitatem temporalem.

Prima via sic patet: nam magis conuenit natura diuina cum natiuitate æterna, quam cum natiuitate temporali: si ergo natura diuina posset dici nata ex Virgine, hoc esset secundum natiuitatem temporalem, quia Virgo temporaliter concepit Christum, & non ab æterno, sed ex tempore genuit ipsum: cum ergo natura diuina plus conueniat cum natiuitate æterna, quam cum natiuitate temporali,

Tribus vijs ostenditur naturam diuinam non posse dici de Virgine natam

D. Damasc.  
lib. 3. c. 33.

rali, magis ei competeret, quòd esset nata à Virgine temporaliter, sed hoc non concedimus, quòd natura diuina sit à Deo Patre æternaliter nata, ergo multo magis non debemus concedere, quòd sit nata ex Virgine temporaliter. Ad hoc autem fulciendum, & muniendum possumus adducere auctoritatem Damasceni lib. 3. cap. 33. qui vult etiam (vt supra tetigimus) quòd nasci non sit naturæ, sed hypostasis: ipsi ergo hypostasi diuinæ, vel ipsi supposito diuino, idest Dei Filio, competit generari, & nasci, & referri relatiuè ad Patrem: Ipsi autem naturæ diuinæ, quæ est quid absolutum, & non quid relatiuum, non competit generari, vel nasci nec referri ad patrem, ideo non debet dici nata, vel genita.

Secunda via sic patet. Nam si natura diuina posset dici nata ex Virgine, multo magis natura humana posset dici nata ex Virgine; cùm ergo fuerit improbatum, & negatum in præcedenti quæstione, quòd natura humana debeat dici de Virgine nata, ergo multo magis natura diuina non debet dici de Virgine nata. Aduertendum autem, quòd hæ duæ viæ accipiunt generari, vel nasci propriè, secundum quem modum generari, vel nasci propriè non est naturæ, sed hypostasis.

Nasci dupliciter sumitur, propriè & communiter: primo modo competit supposito: secundo modo potest eòde di de natura creata, nullo autè modo de natura diuina respectu B. Virginis.

Adducemus ergo tertiam viam, prout natura diuina comparatur ad ipsam generationem, vel natiuitatem temporalem, secundum quem modum accipiendæ generationem, vel natiuitatem largè, prout potest competere ipsi naturæ, adhuc non possumus concedere, quòd diuina natura sit de Virgine nata. dicemus ergo, quòd generari, vel nasci potest sumi propriè, & tunc idem est generari, seu nasci, quòd esse generationis, vel natiuitatis subiectum, vel suppositum, & tunc solùm ei competit nasci, vel generari, quòd nascitur, vel generatur, & quia natura non nascitur, nec generatur, sed suppositum, ideo hoc competit supposito, non naturæ: sed secundo modo potest sumi generari, vel nasci largè, prout idem est, quòd per generationem, vel natiuitatem communicari, sed hoc modo potest competere generari, vel nasci ipsi naturæ, quia ipsa natura potest communicari, & communicatur ipsi supposito.

A quod generatur, & nascitur, non solùm ergo secundum duos primos modos natura diuina non est de Virgine nata, sed etiam secundum hunc tertium modum non potest dici de Virgine nata, quia non est per generationem de Virgine Filio communicata, sed per generationem de Patre, ergo quantum ad Virginem, non potest dici natura diuina de Virgine nata; quia nullo modo per generationem de Virgine est Filio communicata: sed hoc modo natura humana potest dici de Virgine nata, quia natura humana Christo, vel Dei Filio, accipiendo carnem ex Virgine, est sibi natura talis communicata: hoc ergo tertio modo potest dici natura diuina esse ex Patre nata, quia per generationem æternam ex Patre Filio est communicata: accipit enim Filius à Patre per generationem æternam diuinam naturam, vel Deitatem, sed per generationem temporalem ex Matre non accipit diuinam naturam, vel Deitatem, sed solùm naturam humanam, siue humanitatem. Cum ergo quæritur, Vtrum natura diuina sit ex Virgine nata, patet, quòd nullo modo quia non est per generationem de Virgine communicata; aliquo tamen modo (vt patet) potest dici de Patre nata, quia per generationem æternam est Filio communicata.

Natura diuina quomodo dici potest ex Patre nata.

### RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quòd natura diuina non debet dici nata de Virgine: ad id, quòd dicitur de quinta distinctione, potest responderi, sicut Magist. ibidè ait, quòd ibi natura accipitur pro persona.

D Ad secundum dicendum, quòd prædicatio alicuius de aliquo in recto, potest esse dupliciter, vel formaliter, & tunc verum est, vel propter identitatem, & tunc non oportet, vt, quicquid prædicatur de aliquo in recto, competat ei quicquid competit illi: nam non valet: Filius Dei est Deitas, & Filius Dei dicitur relatiuè, ergo Deitas dicitur relatiuè, sic multo magis non valet, Filius Dei est Deitas, & Filius Dei est natus ex Virgine, ergo Deitas est nata de Virgine. Nam Filius Dei non est natus ex Virgine, in eo quòd Deitas, nec in eo quòd est Deus, sed in eo

Natura quædoque pro persona usurpatur, & ita fecit Magist. in dist. 5. Tercij sent.

Prædicatio alicuius de aliquo in recto potest dupliciter sumi, formaliter, & identice: primo modo est verum antequam secundo modo

Obiectio.  
Solutio.

eo quod est homo ; nam Virgo, generans eum, non erat Deus, sed erat homo ; esset enim melius argumentum , Homo ille, vt homo, est natus de Virgine, ergo humanitas eius est nata de Virgine, Nec tamen tale argumentum sequitur, nam, licet concedatur, & verè, quòd homo ille est natus de Virgine, non tamen conceditur propriè, quòd humanitas eius sit de Virgine nata, nisi accipiatur natiuitas largè, vt dicatur de Virgine natum, quod per natiuitatem est de Virgine communicatum ; & quia humanitas est communicata Filio Dei, nascendo de Virgine, ideo in hoc sensu est de Virgine nata, quia Christo, nascendo de Virgine, est humanitas, communicata ; secundum quem modum est falsa : Deitas est de Virgine nata, quia Christo Dei Filio, nascendo de Virgine, non est Deitas communicata, esset ergo hoc modo vera, quantum ad natiuitatem Filii de Deo Patre, quòd Deitas est nata, quia Dei Filio nascendo ex Patre, est Deitas communicata. Et in hoc potest patere dictum Hilarij : *Filius nihil habet nisi natum*. exponitur autem communiter, quòd Dei Filius nihil habet, nisi natum, id est, quod nascendo accepit, sed potest exponi magis propriè, vt dicatur, aliquid posse dici natum dupliciter, vel subiectiuè, quia est id, quod nascitur, & id quod natiuitati subijcitur, & sic non nascitur nisi suppositum : & hoc modo debent intelligi verba Damasceni, quòd nasci non est naturæ, sed hypostasis, Secundo modo potest natum accipi largè, vt dicatur natum omne illud, quod est per natiuitatem communicatum, & hoc modo Deitas est nata, quia est Filio per natiuitatem communicata.

Nasci dupliciter dici potest, subiectiuè, & communicatiuè: primo modo dicitur de sola persona, secundo modo potest dici etiam de natura, quæ per natiuitatem communicatur.

Ad tertium dicendum, quòd argumentum aliquo modo plus arguit, quàm concludat: vel aliquo modo non arguit, quod concludit. Nam cum dicitur in Dei Filio, non est nisi natura, & proprietates, deberet probare argumentum, quod incarnatio terminata est ad naturam, & non deberet probare quòd terminata est ad proprietatem, & tunc oporteret concedere argumentum, sed daremus argumento bonum intellectum, dicendo, quod incarnatio terminata est ad naturam diui-

nam, non in sua communitate, & vt est communis tribus personis, quia tunc omnes tres personæ essent incarnatæ, sed incarnatio terminata est ad naturam diuinam, vt habet specialem modum existendi in Filio. Nam licet sit vna natura diuina communis omnibus tribus personis, non tamen in aliqua personarum habet nisi vnum modum existendi, quia in Patre est sicut in fonte, non ab alio communicata. Ideo dicitur secundo de diuinis nominibus: *Pater est fontana Deitatis, quia in Patre est Deitas, non ab alio communicata*. Sicut enim in fonte est illa eadem aqua, quæ est in riuo, sed in fonte non est communicata ab alio, sed in riuo communicata est à fonte. in stagno verò, est communicata à riuo, & à fonte. Propter quod sicut aqua habet proprium modum existendi in fonte, riuo, & stagno, quia in fonte est, non vt ab alio communicata, in riuo est, vt communicata à solo fonte, in stagno verò vt communicata à riuo, & à fonte: Sic Deitas est in Patre, vt non ab alio communicata, in Filio vt communicata à solo Patre, in Spiritu Sancto, vt communicata ab utroque.

Incarnatio potest dici aliquo modo terminata ad naturam, non prout est tribus personis communis, sed prout habet specialem modum existendi in Filio.

D. Dion. de diu. nom.

Ad maiorem autem intelligentiam doctorum, sciendum, quòd aliqui Doctores nostri temporis ausi fuerunt dicere, quòd incarnatio terminata erat ad naturam, non ad personam. Sed sic dicentes hanc veritatem in quodam nubilo aspiciebant. Nec tamen benè dicebant, quia non debebant simpliciter proferre incarnationem terminatam esse ad naturam diuinam, simpliciter, & secundum se, sed vt habet specialem modum existendi in Filio, & tunc benè dixissent, quia ex hoc non posset argui, quòd esset incarnatus nisi solus Filius. Aliquo ergo modo verum concludit argumentum, quod cum in Filio non sit nisi natura, & relatio, incarnatio non est terminata ad relationem, quæ est in Filio, sed ad naturam, vt habet modum specialem existendi in Filio, vt ex hoc non possit argui, esse incarnatum, nisi solum Filium.

Ad quartum potest patere solutio per iam dicta, quia ibi natura accipitur pro persona.

## ARTIC. III.

*Vtrum natura diuina possit dici homo facta. Conclusio est negativa.*

Ricoh d. 8. q. 1. Alenf. 3. p. q. 10. memb. 1.



**T**ERTIO quæritur. Vtrum natura diuina possit dici homo facta. Et videtur, quòd sic, quia si ad naturam diuinam terminata est incarnatio, cum id, ad quod terminata est incarnatio sit factum homo: ergo natura diuina est facta homo.

D. P. Aug. in  
lib. de fide  
ad Pet. 10. 3

Præterea. Ad hoc idem valet argumentum superius factum. Quia August. de fide ad Petrum ait, quòd natura æterna, atque diuina non possit temporaliter concipi, & nasci ex natura humana, nisi secundum veritatem per susceptionem naturæ humanæ: si ergo natura diuina verè suscepit naturam humanam, verè potest dici, quòd sit facta homo.

D. Damasc.  
lib. 3. c. 11.

Præterea Damasc. lib. 3. c. 11. ait, quòd natura Verbi incarnata est: si ergo natura Verbi est incarnata, cum natura Verbi sit ipsa Deitas: ergo Deitas est incarnata, & per consequens est facta homo.

Præterea. Ad hoc idem facit argumentum superius factum, quia Dei Filius est factus homo, cum Dei Filius sit ipsa Deitas: ergo ipsa Deitas est facta homo.

**I**N CONTRARIUM est, quia cum sit vna Deitas omnium trium personarum, si Deitas est facta homo: ergo quælibet persona est facta homo.

Præterea. Si Deitas esset facta homo, ergo quæcunque verificantur de illo homine, verificarentur de ipsa Deitate, & quia ille homo fuit crucifixus, & passus, Deitas fuisset crucifixa, & passa. Quod nullus sanæ mentis concederet.

## RESOLVTIO.

*Natura diuina non potest dici facta homo: quia licet solus Deus incarnationem efficere potuerit, prout Deus supponit*

**A** *pro tota Trinitate; attamen sola persona Filij subiectiuè suscipere potuit incarnationem, & illam primò, & immediatè terminare, ratione cuius dicitur facta homo.*

**R**ESPONDEO dicendum, quòd incarnatio non solum à solo Deo habet esse effectiuè; sed etiam in solo Deo potest esse susceptiuè, vel subiectiuè. Nam solus Deus potuit incarnationem facere, & solus Deus potuit incarnationem suscipere. Aliter tamen accipitur Deus, vt incarnationem fecit, & aliter vt incarnationem suscepit. Nam Deus vt incarnationem suscepit, ibi Deus stat pro tota Trinitate, sed prout Deus incarnationem suscepit, ibi Deus stat pro solo Filio. Quia licet tota Trinitas induerit Filium carne, solus tamen Filius est indutus carne.

**B**

**C**

**D**

Debemus enim imaginari incarnationem (vt aliàs diximus) quòd essent tres personæ non indutæ, & duæ illarum personarum induerent tertiam, ita tamen, quòd, & tertia indueret seipsam. Pater ergo, & Spiritus Sanctus tanquam duæ personæ non indutæ carne, induerunt Filium carne, ita tamen, vt etiam Filius induerit seipsum carne. Incarnatio ergo fuit à solo Deo effectiuè, sed ibi Deus stat pro tota Trinitate, quia tota Trinitas operata est incarnationem illam. Ostensum est ergo, quomodo solus Deus potuit incarnationem facere, tamen ibi Deus, prout incarnationem fecit, stat pro tota Trinitate, quia tota Trinitas operata est incarnationem illam, & solus Deus potuit incarnationem suscipere, tamen ibi Deus, prout incarnationem suscepit, stat pro solo Filio. Nam non est quæstio de eo, quod potuit esse, sed quæstio est de hoc, quod fuit. Potuisset enim Pater fieri homo, & potuisset Spiritus Sanctus fieri homo, & adhuc posset si vellet. Non est ergo quæstio de eo, quod potuit esse, quia licet tota Trinitas potuisset fieri homo, & licet tota Trinitas potuisset accipere veram humanitatem, & esset tota Trinitas in humanitate vnus homo, sicut est tota Trinitas in Deitate vnus Deus, placuit tamen Trinitati, quòd solus Filius fieret homo, & ideo dicimus incarnationem terminatam esse ad perso-

Deus: vt faciens incarnationem, stat pro tota Trinitate: & vt susceptiuus, stat pro solo Filio.

Incarnatio immediatè terminata est ad personam: mediata verò ad naturam.

personam, & mediante persona terminatam esse ad naturam. Vel si volumus concedere incarnationem terminatam esse ad naturam, vt quidam nostri temporis concesserunt, non concedemus hoc simpliciter. Nam simpliciter loquendo incarnatio non est terminata ad naturam diuinam per se, sed vt habet specialem modum existendi in Filio, quem modum non habet in Patre, nec in Spiritu Sancto, sed solum in persona Filij. Solus ergo Deus potuit incarnationem facere, quia solus potuit facere vnā personam in duabus naturis, quarum quaelibet natura esset apta nata de se facere suum suppositum, vel suā personam: & ideo incarnatio Christi fuit magis mirabile opus, quam esset aliquod aliud à Deo factum. Et ideo benè dicit ille Verificator: *In hac Verbi copula suspexit omnis regula*. Nam quod habens naturam impassibilem, & immortalem, suscipiat naturam passibilem, & mortalem, & ex hoc impassibilis patitur, & immortalis moriatur, nunquam tantum miraculum fuit visum.

Inter omnia Dei opera, incarnatio dicitur opus magis admirabile

Viso quomodo solus Deus potuit incarnationem facere, cuius solius est mirabilia facere, volumus ostendere, quòd solius Dei fuit incarnationem suscipere. Nam non potuit incarnationem suscipere, nisi esset infinitum suppositum, quod posset supplere vicem cuiuscunque alterius suppositi: Nam hoc modo intelligimus incarnationem, quòd natura humana assumpta à Verbo, si non fuisset assumpta ab ipso, constituisset de se quoddam suppositum, & quandā personam. Assumpta verò à Verbo nō constituit nec suppositum, nec personam, sed sustentata est in supposito, seu in persona Verbi; Et ex hoc suppositum, vel persona Verbi suppleuit vices illius suppositi, vel personae, quod constituisset natura illa, si non fuisset sic assumpta; propter quod sicut nulla natura potest totaliter supplere vicem alterius naturae, nisi solum natura infinita, cuiusmodi est natura diuina, quae potest sine natura creata, quicquid potest cum huiusmodi natura, sic solum suppositum diuinum (quod est suppositum infinitum) potest supplere vicem cuiuscunque alterius suppositi, vt possit sine creato, quicquid potuisset illud suppositum creatum. Et hoc etiam modo

In finitasuppositi diuini est ratio terminandi alienam naturam.

Aegid super iij. Sent.

**A** habemus claram viam ad intelligendum incarnationem. Nam natura illa, si non fuisset assumpta à Verbo, constituisset suū suppositum creatū; Assumpta autem non constituit suppositū creatum, sed sustentata est in supposito aeterno, & increato. Et hoc modo illud suppositum aeternum, & increatum suppleuit vices illius suppositi creati, quod constituisset natura illa, non assumpta, vt quicquid verificatū fuisset de illo supposito, verificaretur de supposito Verbi. Et quia illud suppositum fuisset verus, & perfectus homo, fuisset quid passibile, & mortale suppositū Verbi, **B** Dei Filius, ex assumptione humanae naturae factus est verus Deus, & perfectus homo, & factus est passibilis, & mortalis.

Tria ergo notabilia sunt declarata, videlicet, quòd solus Deus effectiue hanc incarnationem facere potuit, secūdo est declaratum, quòd solus Deus subiectiue potuit hanc incarnationem suscipere, vt supplet vices alterius suppositi. Tertio declaratum est, quòd vt Deus fecit hoc effectiue, ibi Deus stat pro tota Trinitate, quia tota Trinitas hanc sanctam incarnationem est operata: sed prout Deus susceptiue hanc incarnationem suscipit, vel subiectiue, ibi Deus stat pro sola persona Filij: licet enim tota Trinitas sit hanc incarnationem operata, tamen ad solum Filium est hanc incarnationem terminata. Vel licet tota Trinitas induerit Filium carne, solus tamen Filius est indutus carne, vt circa principium solutionis quaestionis propositae dictum est.

**C**

**D**

Aduertendum tamen, quòd si volumus attendere intentionem quaestionis propositae, hoc querit quaestio, An incarnatio primo sit terminata ad naturam, & per naturam ad personam, aut è conuersò: Quia si prius esset terminata ad naturam, & per naturam ad personam, immo vt verius dicamus, ad personas, tunc tota Trinitas esset incarnata, & verum esset dicere, quòd quaestio quaerit, videlicet, quòd Deitas esset facta homo: sed cū fuerit è conuersò, quia primò incarnatio terminata est ad personam Filij, & per personam terminata est ad naturam, illud enim, ad quod primò terminatur incarnatio, dicitur esse factum tale, sola persona Filij debet dici facta homo. Natura autem diuina nō propriè dicitur facta homo, de quo proposita quaestio dubitabat.

Si incarnatio esset terminata ad naturam, & per naturam ad personas, tota Trinitas esset incarnata.

E e Nam,



Nam, vt iam diximus, non est quæstio de hoc, quod esse potuit, sed de hoc, quod fuit. Potuit enim incarnatio primò, & principaliter terminari ad naturam, & per naturam ad personas, & tunc natura diuina, & tota Trinitas esset facta homo, sed placuit ei, qui omnia, quæ voluit fecit, vt hæc incarnatio terminaretur ad personam Filij, & sola persona Filij diceretur vnita carni, & facta caro, idest, facta homo, vt exponebatur superius per August. Deitas autè non dicitur vnita carni, nisi in quantum persona Filij, quæ est ipsa Deitas, & in qua est ipsa Deitas, est vnita carni, vt per hoc fieri homo non competat Deitati, vel naturæ diuinæ, sed personæ solius Filij. Quod ergo dicebatur circa principium solutionis, quòd incarnatio terminata est ad naturam, secundum modum existendi, quem habet in solo Filio, dici debet, quòd natura sic accepta, non est res distincta à persona Filij. Nam non ponimus in Deo quaternitatem. Natura enim diuina non ponit in numerum cum tribus personis, quia tunc esset quaternitas in diuinis, nec ponit in numerum cum aliqua persona, secundum modum existendi, quem habet in illa persona: Natura ergo diuina, secundum proprium modum existendi, quem habet in persona Filij, non ponit in numerum cum persona Filij, nec est alia res à persona Filij. Nam si persona Filij, & natura diuina secundum modum existendi, quem habent in ipso, essent duæ res, nullus posset vitare argumentum, quin in diuinis essent quatuor res, & quin esset quaternitas in diuinis. Natura ergo diuina per modum existendi, quem habet in persona Filij est idem, & non est alia res à persona Filij, vt ex ijs omnibus concludatur, quòd sola persona Filij est incarnata, & est facta homo, natura autem diuina non est facta homo, quia non est ad eam primò, & immediatè incarnatio terminata, sed terminata est primò, & immediatè ad personam Filij, vt ex hoc sola persona Filij dicatur proprie facta homo.

#### RESP. AD ARGVM.

Ad primum patet solutio per iam dicta quia illa res, ad quam terminata est primò incarnatio, est facta homo: huiusmodi autem est persona Filij, non natura, vt non

A natura ex hoc, sed sola persona Filij dicitur esse facta homo.

Ad secundum dicendum (vt Magister ait in quinta distinctione, exponendo verba Augustini) quòd ibi Augustinus accipit naturam pro persona.

Ad tertium dicendū, quòd incarnatio, vel vniri carni, potest sumi dupliciter, vel primò, vel ex consequenti. Primò enim, & immediatè incarnatio terminata est ad personam Filij, & quia in persona Filij habet esse natura diuina, ideo ex hoc, quòd incarnatio primò terminata est ad personam, cum in persona Filij habeat esse natura diuina, oportet quòd incarnatio non primò, & immediatè, sed mediante persona Filij terminetur ad naturam. Propter quod licet aliquo modo concedamus, quòd natura diuina Filij sit carni vnita, vel incarnata, nullo tamen modo concedimus, quòd sit facta homo, sed dicimus, quòd sola persona Filij est facta homo, quia non ad naturam, sed ad personam est primò, & immediatè incarnatio terminata.

Et ex hoc patere potest solutio ad quartum. Nam vera, & propria est loquutio, quòd Dei Filius est factus homo: sed cum ex hoc arguatur, quòd Deitas est Dei Filius: ergo Deitas est facta homo, patet, quomodo hæc propositio, Deitas est Dei Filius, non est vera formaliter, sed est vera per identitatem, quia in diuinis propter omnimodam simplicitatem ibi existentem, natura prædicatur de qualibet persona, & è conuersò. Si quis ergo argueret. Deitas est Pater, sed Pater generat, ergo Deitas generat. Respondetur, quòd Deitas est Pater, non formaliter, quia tunc generaret, sed Deitas est Pater per identitatem, quæ est idem quod ille, qui est Pater. Ex hoc non potest argui, quòd Deitas generet, sed quod est ille, qui generat, quia est Pater. Sic & in proposito: si Filius Dei est factus homo, sed Deitas est Dei Filius, ergo Deitas est facta homo: poterit respondere, quòd hæc, Deitas est Dei Filius, non est vera formaliter, sed per identitatem. Nam si esset vera formaliter, cum Dei Filius dicatur relatiuè ad Patrem, Deitas diceretur relatiuè ad Patrem. Quod patet esse falsum, cum Deitas non sit quid relatiuum, sed quid absolutum.

Quomodo intelligitur Deitas esse carni vnitati.

In diuinis nõ est quaternitas, quia natura diuina non ponit in numerum cum personis, neque secundum se, neque secundum modum existendi in illis, vel in qualibet illarum.

Natura diuina nõ est facta homo, quia ad eam non est primò, & immediatè terminata incarnatio.

Res illa, ad quam primò est terminata incarnatio est persona non natura.

D.P. Aug. v. surpauit nomen naturæ pro persona.

Incarnatio immediatè dicitur terminata ad personam: mediatè ad naturam, ideo illa est facta homo non ista.

Hæc propositio, Deitas est Filius Dei, est vera per identitatem non per formalitatem.

Hæc propositio, Deitas est Pater, est vera identicè non formaliter.

Soluemus ergo argumentum pròpositum, sicut soluebamus argumentum de generatione. Nam sicut dicebamus, quòd Deitas nõ generabat, sed erat ille idẽ, qui generabat, quia erat Pater, sic dicemus, quod Deitas non est facta homo, sed est ille idem, qui est factus homo: quia est ipem quod Deus Filius, qui est factus homo, vt non sit prædicatio formalis, sed per identitatem. Deitas est Dei Filius. Nam si esset prædicatio formalis, Deitas est Dei Filius, diceretur relatiuè ad Patrem, & esset Patris filia. Sicut Filius dicitur relatiuè ad Patrem, & est eius Filius. In talibus enim sic immiscet se fallacia accidentis, quia non semper consideratur, quod est per se, vt vix possit quis à tali fallacia præcauere.

Deitas non est facta homo: sed est ille idem, qui est factus homo.

ARTICVLVS I.

*Utrum in Christo sint ponendæ duæ natiuitates. Conclusio est affirmatiua.*

D. Thom. 3. p. q. 35 ar. 5. Caiet. Medina. Siluius ibidem, D. Bonau. dist. 8. ar. 2. q. 1. Arg. d. 8. q. 1. ar. 1. Aestius d. 8. §. 2.



Primum sic proceditur. Videtur, quòd in Christo non sint ponendæ duæ natiuitates.

Nam, vt supra dictum est per Damascen. lib. 3. c. 34.

*Non est natura nasci, sed hypostasis:* cum ergo in Christo secundum veritatem non sit nisi vna hypostasis, & suppositum, ideo non poterimus in ipso duas natiuitates ponere, quia videremur ex hoc in eo ponere duas hypostascs, vel duo supposita.

Præterea. Omnis natiuitas est quædam generatio, & generatio semper terminatur ad esse; sed in Christo non est nisi vnum esse, quia semper vnus rei, vnicum est esse. Dicitur tamen de Christo in Symb. *Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus:* ergo in Christo est tantum vnum esse, & consequenter vna generatio, & vna natiuitas.

Præterea. Quæ non sunt eiusdem rationis, non debent ad inuicem numerari, nec debent dici duo, vt canis coelestis, qui est vna stella, & terrestris, qui est quoddam animal latrabile, non debent dici duo canes: sed natiuitas Filij æterna, & temporalis non sunt eiusdem rationis: ergo non debent ad inuicem connumerari, vt debeant dici duæ generationes, vel natiuitates.

Præterea. Si in Christo essent duæ natiuitates, Christus essent duo nati: sed hoc est falsum, quia non est nisi vnus natus: ergo &c.

IN CONTRARIVM est, quia nullus dicitur filius alicuius, nisi ratione natiuitatis, & quia est eius natus. Sed Christus dicitur filius Patris, & Matris: ergo sunt in eo duæ natiuitates: vna ex Patre æterna, alia ex Matre temporalis.

DISTINCTIONIS VIII.

Pars Tertia Principalis.

*De natiuitate temporalis Filij Dei per comparisonem ad æternam:*

QVAESTIO VNICA.



DEINDE quæritur de tertio principali, videlicet de Natiuitate temporalis Filij Dei per comparisonem ad æternam. Circa

quod quærentur tria.

Primò. Vtrum debeamus concedere in Filio Dei, siue in Christo duas natiuitates, vnã æternam, alteram temporalem.

Secundò. Vtrum concedendo in Christo Dei Filio duas natiuitates, debeamus ibi concedere duas filiationes.

Tertiò. Vtrum vtraque filiatio æterna, & temporalis sit in

Christo natiualis.

D. Athan. in  
Symb.

Præterea dicitur in Symb. *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus: ergo in eo est generatio, vel natiuitas à Patre. Et in eodem Symbolo dicitur: Necessarium est ad æternam salutem, vt incarnationem Domini nostri Iesu Christi fideliter credat: sed non possumus credere, quòd Deus sit incarnatus, nisi, quia est de Virgine natus: ergo sunt in eo duę generationes, vel duę natiuitates, vna ex Patre, alia ex Virgine.*

Dub. Lateralis.

*Vtrum Dei Filius debeat dici bis natus. Conclusio est affirmatiua.*



**V**LTERIVS autem potest dubitari, vtrum Dei Filius possit dici bis natus, & videtur, quòd nõ, quia quod aduenit alicui post cõpletum esse, non debet dici ex hoc natus, vt quia capillus, vel pilus aliquis potest aduenire hominì post completum esse, propter natiuitatem capilli, vel pili non diceretur homo natus: cum ergo humanitas aduenit Filio Dei post completum esse, propter acceptionem humanitatis Filius Dei non debet dici natus, nec etiam debet dici bis natus.

Præterea. Hoc aduerbium, *bis*, importat successionem actuum, tunc enim diceretur aliquis bis currere, quãdo vnus cursus succederet alteri, & quando interrumpetur cursus: sed cum natiuitas æterna non possit interrumpi, quia est semper, & mensuratur æternitate, natiuitas temporalis non interrumpit eam, nec succedit ei: ergo ex hoc non debet dici Christus bis natus.

**I**N CONTRARIVM est, quia hoc aduerbium *bis*, numerat actum, cui adiungitur: cum ergo temporale, & æternum non possint dici vnus, & idem actus: sic Christus est natus à Patre æternaliter, & ex Matre temporaliter, cum hoc fuerit secundum duos actus, & non potuerit esse secundum vnum, & eundem actum, vel secundum vnã, & eandem natiuitatem, oportet in Christo esse duas natiuitates & Christum esse bis natum.

## A RESOLVTIO ARTICVLI Principalis.

*Duas esse in Christo natiuitates docet fides, & rationes suadent, quia sunt duo principia, à quibus trahit originem: dua natura, quæ in eo reperiuntur: & dua mensura, quibus mensurantur.*

**R**ESPONDEO dicendum ad primũ Articulũ, quòd cum quæritur, Vtrum in Christo sint duę natiuitates, dici potest, quòd esse in eo duas natiuitates, quadruplici via ostendere possumus. Vt prima via sumatur ex istis actibus fidei, & ex eo, quod tenet Ecclesia. Secunda ex ipsis principijs, ex quibus habet esse Christus: Tertia ex ipsis duabus naturis, quæ habent esse in Christo: Quarta ex ipsis duabus mensuris, quibus mensurantur illæ duę natiuitates.

Prima via sic patet. Nam in ipsis articulis fidei, satis, sufficienterq; expriniuntur istæ duę natiuitates, quia in primo agitur de natiuitate, vel generatione æterna, cum dicitur: *Filius à solo Patre est non factus, nec creatus, sed genitus.* Postea agitur de natiuitate temporali, cum dicitur: *Sed necessarium est ad æternam salutem, vt incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.* Incarnatio autem Domini nostri Iesu Christi est temporalis natiuitas ex assumptione humanitatis, vel carnis. Sunt ergo in Christo duę natiuitates, vel duę generationes, vna æterna, per quam est à solo Patre genitus, & alia secundum carnem, per quam est à Matre temporaliter natus. Et non solum hæ duę natiuitates ad articulos fidei reducuntur, sed etiam eos prædicat, & docet Ecclesia. Nam cum Episcopi debent per Ecclesiam consecrari: quia ipsi debent alios instruere de ijs, quæ tenet, & credit Ecclesia, inter alia, quæ quærentur ab eis, hoc specialiter quæritur, vt habetur in Ordinario Romanę Ecclesię. *Credis Christum Filium Dei, Verbum Dei, natum de Spiritu Sancto ex Maria semper Virgine, duas habentem natiuitates, vnã ex Patre æternam, & alteram ex Matre temporalem, Deum verum, & hominem verum?* Et ille respondet: *assentio, & per omnia credo.*

Secun-

Quadruplici via ostenditur in Christo esse duas natiuitates

Est de fide in Christo esse duas natiuitates, æternam, & temporalem.

In consecratione Episcoporum Ecclesia exquirat ab eis fidem duplicem natiuitatis Christi.

Ceremoniale Romanę Ecclesię.

Secunda via ad hoc idem potest sumi ex ipsis principijs, ex quibus sumpsit Christus natiuitatem, originem, & generationem. Nam vnus natiuitatis, vel originis principium est solus Pater, à quo est natus Filius æternaliter. Aliud principium est Mater, à qua natus est Christus temporaliter, & hæc duæ natiuitates non fuerunt simul, quia vna fuit æterna à Patre, alia temporalis ex Matre. Quod enim vna, & eadem natiuitas non sit simul, & quod tantum vna distet ab alia, vt vna sit ab æterno, alia temporalis, de vna, & eadem natiuitate concedi non potest: Et ideo oportet duas in Christo ponere natiuitates.

Tertia via ad hoc sumi potest ex ipsis duabus naturis, quæ sunt in Christo, & quas accepit Christus secundum duas natiuitates. Sunt enim in Christo duæ naturæ, vna diuina, quam accepit à Patre æternaliter, & alia humana, quam accepit à Matre temporaliter. Et quia hæc duæ natiuitates duarum naturarum non poterunt esse simul, vel non fuerunt simul, oportet has duas acceptiones naturarum ad duas natiuitates reducere, quarum vna est æterna, alia temporalis.

Quarta via ad hoc idem potest sumi ex parte duarum mensurarum: nam cum sint duæ mensuræ in entibus: æternitas, & tempus, iuxta illud Procli in libro de elementatione Theologica proposit. 33.

*Omnia æternitas mensura est æternorum, & omne tempus temporalium, & hæc duæ mensuræ sunt solam in entibus vita, & motus.* Hæc autem duæ mensuræ, æternitas, & tempus, sic se habent, quod æternitas mensurat viuere, hoc est mensurat esse. Nam secundum Philosophum, *Viue- re viuentibus est esse.* Alia verò mensura, vt tempus mensurat motum. Nam (vt ait Philosophus 4. Phys. *tempus est numerus motus secundum prius, & posterius.* Ipse enim motus mensuratus per prius, & posterius, est idem, quod tempus, loquendo de motu primi mobilis, cuius passio est tempus, qui motus primi mobilis, vt est numeratus ab anima secundum prius, & posterius est idem, quod tempus, & ideo vult Commentator in eodem 4. quod ad esse temporis fuit anima numerans motum, prout in eo successiuè sunt prius, &

Aegid. super iij. Sent.

posterius, in qua numeratione prioris, & posterioris, consistit ratio temporis. Sunt ergo duæ mensuræ in entibus æternitas mensurans esse, & æterna, & tempus mensurans motum, & temporalia.

Sed dices, multa sunt entia, quæ non sunt æterna; cui obiectioni in pluribus locis respondet Proclus in dicto libro innuens, quod *Est aliquod ens enter, & tale mensuratur, secundum quod huiusmodi, æternitate, vel simpliciter, vel saltem æternitate participata: Et aliquod, quod est ens non enter, sed mobiliter, & tale ens mensuratur tempore.* Istæ ergo sunt duæ mensuræ in entibus, æternitas mensurans entia enter, idest, inuariabiliter: & tempus mensurans entia non enter, idest, entia mobiliter, & variabiliter. Cum ergo quæstio nostra sit de ipsa natiuitate Christi, cum natiuitas æterna, & temporalis non possint esse vna, & eadem natiuitas, oportet nos concedere natiuitatem Christi æternam, secundum quam est natus à Patre, & temporalem, secundum quam est natus ex Matre, esse non vnâ, sed duas natiuitates. Nam non solum quantum ad duas mensuras æternitatem, & tempus, sed etiam quantum ad vnâ, & eandem mensuram, si aliqua non fiant simul, non dicuntur vnum tale, sed duo, vel tria, vel plura talia; Vt si Socrates currat in tertia, & postea in sexta, dicetur cucurrisse duos cursus, & si plures cucurrerint, plures cursus dicentur cucurrisse. Et si in eadem mensura potest esse pluralitas talis, multò magis in pluribus, & varijs mensuris, vt in æternitate, & tempore talis pluralitas concludatur. Si ergo Dei Filius natus est à Patre æternaliter, & ex Matre temporaliter, & natiuitatem hanc habeat, & illam, non vnâ, & eandem, sed duas esse natiuitates oportet concedere.

RESP. AD ARGUMENTA.  
Principalis Articuli.

Ad primum dicendum, quod licet nasci non sit naturæ, sed personæ, tamen est personæ per comparisonem, ad naturas, quas accepit ex tali natiuitate. Et quia Christus, licet sit vna persona, tamen quia habet duas naturas, idest diu-

E e 3 nam,

Ex duplici principio Christus dicitur originis ex Patre æternaliter, & ex Matre temporaliter.

Obiectio.  
Solutio.

Quid sit ens enter, & ens non enter, secundum Proclum.

Quæ simul non sint plura, necesse est esse etiã secundum eandem mensuram.

Proclus in lib. de elem. Theol.

Æternitas mensurat esse, & tempus mensurat motum. Arist. 2. de An. tex. 37.

Arist. 4. phys. sic. tex. 100

Auer. 4. phys. sic. com. 131

Nasci cõpetere personæ, dupliciter potest intelligi, vel personæ absolute: vel personæ comparative ad naturam, scilicet modo conceditur, primo non.

nam, quam accepit æternaliter à Patre, & humanam, quam accepit temporaliter à Matre, oportet in eo duas natiuitates ponere, vnã æternam, secundùm quam accepit naturam æternam æternaliter, & aliam temporalem, secundùm quam est natus temporaliter.

Ad secundum dicendum, quòd in Christo, cùm ibi non sit, nisi vnum suppositum, & vna persona, oportet, vt sit in eo vnum esse substantiæ, per quod habet esse distinctum ab alijs. Nam illud suppositum Verbi, vel illa persona Verbi, cùm humana natura in Verbo non constituit personam Verbi, sed sustentatur in persona Verbi, ab æterno iam in esse constituta, & inde est, quòd illa humana natura aduenit Verbo iam in esse constituto: propter quod talis natura, licet in se sit substantia, habet tamen quendam modum accidentis. Et ex hoc fortè motus Apostolus ad Philip. 2. vocat illam naturam humanam, quã indutus est Christus, *habutum*, dicens: *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*. Cùm igitur arguitur, quòd vnius rei vnicum est esse, verum est de esse, in quo, vel per quod subsistit illa res. Tale autem quid non est natura humana, nec aliquid pertinens ad naturam humanam. Propter quod si natura humana est anima, & corpus, & essentia, & esse, quia talia non faciunt ad constitutionem personæ Verbi, sed sustentantur in persona Verbi ab æterno in esse constituta, ideo ex talibus contra dictum nostrum, & veritatem nihil potest argui, & concludi.

Ad tertium dicendum, quòd natiuitas Christi æterna, & temporalis non se habent sicut canis cœlestis, & terrestis, qui dicuntur pœnitus æquiocè, sed sicut ea, quæ dicuntur analogicè, quæ debent ad inuicem connumerari. Nam æternitas, & tempus, vt patet per habita, non sunt vna mensura, sed duæ mensuræ, sicut natiuitas Christi æterna à Patre, & temporalis ex Matre, non vna mensura, sed duæ mensuræ dici debent.

Ad quartum dicendum, quòd manifestè deficit argumentum. Nam si vnus, & idem primò curreret in tertia, & postea curreret in sexta, non essent ex hoc duo currentes, sed duo cursus, vel esset vnus,

& idem currentes duobus cursibus. Sic & in proposito, quia vna, & eadem persona Verbi, prius fuit nata æternaliter à Patre, & postea fuit nata temporaliter à Matre, non sunt duo nati, sed est idem natus duplici natiuitate, æterna scilicet, & temporali.

Currens in tertia, & in sexta non dicitur duo currentes, sed duo cursus eiusdem currentis: ita sunt duæ natiuitates eiusdem Christi, nõ duo nati.

### Resolutio Dub. Lateralis.

*Hoc aduerbium, bis, cùm reduplicet eundem actum secundùm eandem temporis mensuram: multò magis reduplicabit secundùm diuersas mensuras temporis, & æternitatis, quibus duæ Christi natiuitates mensurantur: ideo Christus dici potest bis natus.*

**D** id autem, quod vltèrius quaeritur. Vtrum Christus, vel Dei Filius debeat dici bis natus. Patet, quòd hoc aduerbium, *bis*, potissimè videtur reduplicare actum, secundùm aliquam mensuram mensurantem illum actum. Et si talis duplicatio potest fieri secundùm vnã, & eandem mensuram: multo magis hoc erit, si sit secundùm, aliam, & aliam mensuram; & ideo si quis in alio, & in alio tempore currat, dicitur bis currere, cùm tamen tempus sit vna, & eadem mensura.

Et quia tempus, & æternitas non sunt vna, & eadem mensura, sed duæ mensuræ, natiuitatem hanc, & illam, non vnã, sed duas natiuitates esse, oportet vt concedamus.

### RESP. AD ARGUMENTA Dubitationis Lateralis.

Ad primum dicendum, quod non est simile de capillo nato in homine, & de Dei Filio nato ex Virgine, quia totus homo non consistit, nec subsistit in illo capillo, sed totus Dei Filius subsistit in vtraque natura, diuina scilicet, & humana, ideo cùm accepit naturam diuinam, quia totus habet esse sub tali natura, & in tali natura dicitur esse natus, accipiendo talem naturam. Sicut etiam, cùm accipit naturam humanam, quia totus subsistit

Negatur similitudo ad duæ in argumto, quia totus homo nõ consistit in capillo, sicut totus Christus subsistit in vtraque natura.

Philip. c. 2.

Vnius rei vnicum est esse, vera est propositio de esse substantiæ: non de esse essentia.

Natiuitas Christi æterna, & temporalis, non dicuntur æquiocè, sed analogicè.

fifit quoq; in tali natura, ideo dicitur esse natus, accipiendo etiam talem naturam. Et quia duas naturas accepit, vnam post aliam, merito bis dicitur esse natus, & sunt in eo duę natiuitates.

Et per hoc potest parere solutio ad secundum. Nam si quis curreret in vno stadio, & postea curreret in alio stadio, & propter hoc non desineret currere, multo magis curreret duos cursus, quàm si faceret secundum cursum, desinendo primum cursum. Quod enim creatura non potest facere duo simul, & non potest facere secundum, nisi desinendo primum, hoc est ex limitatione eius. Sed Dei Filius natus eternaliter à Patre, non desinendo, nec interrompendo natiuitatem, illam eternam, natus est temporaliter ex Matre, non minus, immò magis debet dici habere duas natiuitates, & esse bis natus, quàm si interrupisset, & desitisset à natiuitate illa eterna. Potest enim ex hoc argui ipsum esse verum Deum, & esse infinitum suppositum, & infinitam personam, quę non desinendo natiuitatem eternam, per quam suscepit naturam diuinam, suscepit natiuitatem temporalem, secundum quas duas natiuitates est Deus eternaliter, & homo ex tempore, & est perfectus Deus, & perfectus homo,

Non valet similitudo de creatura, & de Verbo diuino, quia creatura non potest facere duo simul propter suam limitationem, nec potest agere secundum, nisi desinendo primum: at Verbum propter suam infinitatem non interrumpendo natiuitatem eternam, secundum quam semper nascitur, natus est etiam temporaliter.

A tione refertur ad Patrem, & Matrem, nec sunt in eo propter hoc duę filiationes; ergo neque in Christo, cum sit verus homo, sicut & alij homines.

Præterea. Duo accidentia eiusdem rationis non possunt esse in eodem subiecto, propter quod eadem paternitate refertur pater ad plures filios, quia non possunt in eodem homine, propter unitatem suppositi, esse in eo plures paternitates. Pari ergo ratione, cum in Christo non sit nisi vnum suppositum, non poterunt in eo esse plures filiationes.

B Præterea. Quodlibet continuum refertur ad quamlibet suam partem, & est maius qualibet sua parte; si ergo propter quodlibet referri sumeretur realis relatio, essent in eodem continuo infinitæ reales relationes, quod est impossibile. Pari ratione, licet Christus sit Filius Patris, & Matris, propter referri ad Patrem, & Matrem non erunt in eo duę tales relationes, vel duę filiationes.

C IN CONTRARIUM est, quia multiplicata causa multiplicatur effectus: sed natiuitas est causa filiationis: Ergo cum in Christo sint duę natiuitates, vt patet ex quæstione præcedenti, erunt in eo duę filiationes.

Præterea. Relatiua sunt, quorum esse est ad alterum se habere: sed esse filiationis æternæ, non est Christum se habere ad Matrem, ad quam non refertur per filiationem eternam, aliqua ergo alia relatione refertur ad Matrem, præter filiationem eternam: igitur in Christo sunt duę filiationes, vna eterna, alia temporalis.

D Præterea. Relatiua posita se ponunt, & interempta se interimunt: sed natiuitate interempta de Virgine, non interimitur filiatio eterna: ergo oportet ponere in Christo aliam filiationem, quę ponitur posita maternitate, & interimatur interempta ea, & sic sunt duę filiationes.

Præterea. Motus diuersificantur per terminos: sed sicut motus habet speciem a termino, ita & relatio: cum ergo Christus sit Filius Patris, & Matris, oportet, quod alia, & alia relatione referatur ad vtrumque.

Præterea. Philosophus lib. 5. Met. vult quod scientia non referatur ad scientem, quia

ARTIC. II.

*Utrum in Christo sint duę filiationes. Conclusio est affirmatiua.*

D<sup>o</sup> Thom. 3. p. q. 35. art. 5. Caiet. Siluius. Medina ibid. D. Bonau. 3. sent. d. 8. q. 2. ar. 7. Scotus d. 8. q. 1. Richard. eadem dist. q. 2. Durand. q. 2. Lychet. q. 1. Fauentin. disp. 27. Argent. d. 8. q. 1. ar. 2. Capreol. d. 8. quæst. 1.



SECUNDO quæritur. Utrum concedendo in Christo esse duas natiuitates, debeamus concedere ibi esse duas filiationes.

Et videtur quod non, quia filiatio est proprietas personalis: sed in Christo est vna tantum filiatio. ergo &c.

Præterea. Christus est Filius Patris, & Matris, sicut quilibet alius homo; sed quilibet alius homo vna, & eadem filia-

quia cum referatur ad scibile, & hoc sit suum esse, in quantum est aliquid, oportet, si diceretur ad scientem, quod haberet duplex esse. Pari ergo ratione si Christus filiatione refertur ad duo, ad Patrem, scilicet & Matrem, oportet, quod secundum rem, & secundum esse sint in Christo duę filiationes.

Pręterea. Suprà habitum est, quod Pater potuisset carnem assumere; sed si de Virgine Pater carnem assumpsisset, Filius Virginis diceretur, hoc autem non esset filiatione ęterna, esset ergo filiatio in eo temporalis, alia à paternitate ęterna. Pari ergo ratione si Filius assumpsit carnem ex Virgine, est in eo filiatio temporalis, alia à filiatione ęterna.

## RESOLVTIO.

*Duas esse in Christo reales filiationes egregie concludit Aegidius, tũm ex duobus earum realibus fundamentis: cũm ex doctrina D. Thomę oppositum sentientis.*

D. Tho. 3. p.  
q. 35. a. 5.

RESPONDEO dicendum, quod scripta communia hanc quęstionem mouent, & pertractant hoc modo. Afferunt enim in Christo non esse duas filiationes reales, sed in eo tãtũm vnã esse realę filiationę, scilicet ęternã, qua refertur ad Patrem. Temporalis autem filiatio, qua refertur ad Matrem, non est in eo secundum rem, sed secundum rationem tantum, vel secundum quendam respectum. Sed cum hæc sit maxima gratia facta omnibus nobis, quod *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis*, filius, scilicet Dei, vt dicit Interlinealis, quę datio filij hoc modo facta est, quia Filius Dei ęternus, factus est pro nobis in tempore filius Virginis, assumędo carnem ex Virgine, quod verò nos homines, quibus facta est tanta gratia, hanc gratiam non magnificemus, & ampliemus, sed potius minuamus, & abbreviemus, & dicamus filiationem illam, quam habet Dei Filius, à Virgine assumendo carnem, non esse realem, sed secundum rationem, non secundum rem, sed secundum quendam respectum, abbreviando huiusmodi donum, indignos nos reddimus tanto bono. Nam indi-

Contra præfatã opinionem.

Isai. c. 9.

Glo. interlin. super Isai.

agnum se facit dono, & gratia, non magnificans donum, & gratiam sibi factam.

Aduertendum ergo, vt referamus, sic scripta cõmunia, vt iacēt, & vt benę ponderemus ea, dicamus, quod in eis assignatur duplex modus, quo impeditur multiplicatio realium relationum, quorum vnus sumitur ex parte fundamenti relationum, alius autem ex parte ipsius subiecti, in quo habent esse relationes. Primus autem modus, & prima via sic patet. Dicunt enim scripta communia, quod

relatio non habet esse in rerum natura, ex eo quod ad alterum dicitur, sed hoc habet ex eo, quod relationem causat, & quod est in re, vel quod idem est, hoc habet relatio ex suo fundamento. Debemus enim videre, si velimus benę iudicare, vt rum sint plures relationes reales, quid est illud, in quo fundantur tales relationes, & si fundamentum illud realiter multiplicetur, debemus concedere, esse plures tales relationes: vt vero ponatur de hoc sensibile exemplum, dicemus, quod vnum in quantitate facit ęquale, & vnum in qualitate facit simile. Si ergo aliquid per vnã quantitatem refertur ad multa, & est ęquale multis, non erunt in eo ex hoc multę reales qualitates, si non sint in ipso multa fundamenta, & multę tales quãtitates. Potest enim aliquid per vnã solam quantitatem esse ęquale multis, sed propter hoc non erunt in eo multę reales ęqualitates, cum non sit in eo nisi vnã quantitas, in qua fundantur omnes illi respectus, per quos refertur ad multa ęqualia. Potest enim aliquid de non ęquali fieri ęquale, nulla mutatione facta in ipso. Et ex hoc Philosophus dixit, quod in ad aliquid non est motus, quia potest aliquid acquirere relationem nouam, nulla mutatione facta in ipso. Si ergo per vnã quantitatem dicitur aliquid ęquale multis, non erit in eo, nisi vnã quantitas realis, seu ęqualitas propter vnũ fundamentum quantitatis, sed erunt in eo solum multi respectus, secundum quos refertur ad multa ęqualia.

Isti autem optimę se fundant, si benę prosequuntur sua fundamenta, & vt ostendamus verum esse eorum fundamentum, dicemus, quod omnes res aliorum præ-

D. Tho. vbi supra.

Vnum in quantitate facit ęquale, & vnum in qualitate facit simile

Arist. in prædic. relati.

Defenditur opinio D. Thomę.

dicamentum sunt aliquid, ex eo quod sunt constitutę in suis prædicamentis. Sola autem relatio ex suo prædicamento non est aliquid, sed ad aliquid. Et ideo si relatio est aliquid, non est ex suo prædicamento, sed ex suo fundamento, quia oportet relationem aliquod fundamentum habere, si sit vera, & realis: & ex hoc verificatur dictum D. Aug. 7. de Trin. c. 1. *Omnia essentia quę relatiuę dicitur est etiã aliquid, excepto eo, quod relatiuę dicitur.* Nam fundamentum relationis est aliquid, non ad aliquid, quia per se loquendo, non est quid relatum, sed quid absolutum. Si enim fundamentum relationis, per se loquendo, esset quid relatum, ratio relationis iret in infinitum.

Reuertamur ergo ad propositum, & dicamus, quod omnes res aliorum prædicamentorum ex suis prædicamentis sunt aliquid. Sola autem relatio ex suo prædicamento non est aliquid, sed ad aliquid. Nam si vellemus diuidere prædicamenta (vt alias in quibusdam nostris quęstionibus diuissimus) diceremus, quod omne prædicamentum, vel dicit ipsam rem, vel ipsum ordinem, vel dicit rem sub ordine. Si dicit ipsam rem, sic sunt tria prædicamenta, substantia, quantitas, & qualitas, substantia quidem, quę continet materiam, formam, & compositũ, & quantitas, quę potissimę sequitur rem ex parte materię, & qualitas, quę potissimę sequitur ex parte formę. Ista enim sunt tria prædicamenta dicentia ipsam rem secundũ se, substantia, quantitas, & qualitas. Sed si prædicamentum dicit rem sub ordine, sic sumuntur sex prædicamenta, de quibus agitur in sex principijs. Nam idem est calor, & calefactio actio, & calefactio passio. Calor dicit ipsam rem, quia dicit ipsam qualitatem: sed calefactio actio dicit illam eandem rem sub ordine ad agens, calefactio passio dicit etiam illam eandem rem, sed sub ordine ad patiens: siue ergo prædicamentum dicat ipsam rem secundum se, siue dicat ipsam rem sub ordine, semper dicit aliquid ratione rei, quam importat: sed si prædicamentum, quantum est de se, non dicat ipsam rem, sed ipsam sub ordine, secundum quem modum dicunt sex principia, siue sex prædicamenta, quę leue esset distinguere.

A super quo superfedemus, quia ea alias distinximus: sed si dicat ipsum ordinem ad aliquid, secundum quem modum sumptum est prædicamentum relationis, patet, quod si benę consideretur, quomodo sumitur hoc prædicamentum, quod solum tale prædicamentum, quantum est de se, non dicit aliquid, sed ad aliquid.

Descendamus ergo ex ijs omnibus ad solutionem quęstionis propositę. Nam cum quęritur, vtum in Christo sint duę filiationes, patet, quod cum filiatio sit quędam relatio, & relatio etiam de se, ratione sui prædicamenti non sit aliquid, sed ad aliquid: & si est aliquid, vel aliqua res, hoc est ratione sui fundamenti: Videndum est, in quo fundatur relatio Christi ęterna, per quam refertur ad Patrem, & in quo fundatur eius relatio temporalis, per quam refertur ad Matrem, & secundum earum fundamenta poterimus de veritate iudicare. Sed constat, quod filiationis ęternę, per quam refertur Christus Dei Filius ad Patrem, fundamentum est ipsa diuina natura, quam accipit Filius nascendo à Patre: & fundamentum filiationis humanę est ipsa natura humana, quam accipit Filius nascendo à Matre: cum ergo ista sint duo fundamenta realiter distincta, nulli dubium esse debet in Christo esse duas filiationes reales.

Sed, vt clarius pateant, quę sunt dicta, adducemus verba Scriptorum communium, vt iacent, quę sunt hęc, quod relatio non habet ex eo, quod ad alterum dicitur, vt sit aliquid in rerum natura, sed hoc habet ex eo, quod relationem causat, quod est in re, quę ad alterum dicitur. Et quia ex eo res habet vnitatem, & multitudinem, ex quo habet esse, ideo secundum id, in quo relatio fundatur, iudicandum est de ea, vtum sit secundum rem, vna, vel plures: cum ergo sit quasi per se notum in hac materia, quod id, in quo fundatur filiatio temporalis Christi, sit natura humana, quam accepit temporaliter à Matre, & id, in quo fundatur relatio Christi ęterna, sit natura diuina, quam accepit ęternaliter à Patre, cum istę duę naturę sint verę duę res, & verę duo fundamenta realiter distincta, si volunt auctores Scriptorum.

com-

Omnes res aliorũ prædicamentorum ex hoc quod sit in suis prædicamentis, sicut aliquid sed relatio ex suo prædicamento non est aliquid, sed ad aliquid. D. P. Aug. 7. de Trin. c. 1. tom. 3.

Prædicamentorum distinctio, & ordo.

Quantitas sequitur materiam, qualitas vero formam.

In quęstionibus super Prædicamentis Arist.

Relatio nõ potest dici res, nisi ratione sui fundamenti.

Ex duobus fundamentis realibus realiter distinctis, in quibus Christi filiationes fundantur, arguit Aegidius in Christo esse duas filiationes reales.

Ex doctrina D. Tho. Aegidii, concludit in Christo duas esse reales filiationes, quod negat D. Thom.



communium sequi sua fundamenta, oportet eos dicere has duas filiationes esse duas relationes reales realiter distinctas, quod probare volebamus.

Dub. I. Lateralis.

*De secundo modo impediendi plurificationem relationum realium ex parte subiecti.*

RESOLVTIO.

*Ex subiecti unitate non impeditur duplex filiatio realis in Christo, quia natura diuina, & humana, in quibus filiationes aeterna, & temporalis fundantur, differunt genere; ex quo sequitur etiam ipsas filiationes genere differre, & ita sine ulla repugnantia in eodem subiecto insimul esse posse.*



Ratio dubitandi.

Cōfirmatur dicta ratio dubitandi, & roboratur.

**V**LTERIVS fortè dubitaret aliquis de secundo modo impediendi plurificationem relationum realium, qui sumitur ex parte subiecti. Vtrum ex tali modo possimus probare in Christo non esse duas filiationes reales. Est autem hic modus, quia in eodem filio carnali non sunt duæ filiationes realiter distinctæ, vt secundum vnā illarum referatur ad Matrem, & secundum aliam referatur ad Patrem, sed in filio carnali est vnā tantum filiatio, per quam refertur ad Patrem, & Matrem, respectus autem possunt esse plures, secundum quos refertur ad Patrem, & Matrem; vnā tamen est realis filiatio, per quam refertur ad vtrumque, quod idem contingit, quia licet vnus, & idē filius habeat duo principia productiua, matrem scilicet, & patrem, tamen non nisi vnā, & eadem natiuitate nascitur ab vtroque, quam vnā, & eandem natiuitatem consequitur vnā, & eadem relatio realis, qua refertur ad vtrumque.

Fortificatur autem istud argumentum, quia in nullo vno, & eodem subiecto possunt esse duo aliqua eiusdem speciei: sed si in eodem filio carnali essent duæ filia-

**A** tiones realiter differentes, non possent differre specie. Essent ergo duo aliqua, realiter differentia eiusdem speciei in eodem subiecto, quod esse non potest, quia nullæ duæ albedines, nec aliqua alia duæ res eiusdem speciei, possunt esse in eodem subiecto. Videntur autem pater, & mater sic se habere ad productionem vnus, & eiusdem filij carnalis, quod neuter sufficit ad productionem talem, quia pater est dans formam, mater verò est administrans materiam. Et ideo ait Philosophus in libro de Animal. quòd filius habet corpus à matre, & animam à patre, quòd in animalibus brutis verum est simpliciter, quia foemella administrat sanguinem menstruum, quæ est materia, de qua formatur corpus: & virtus, quæ est in semine patris disponit materiam illam, vel sanguinem illum menstruum, & in virtute animæ patris inducit ibi formam, siue animam. Hoc ergo modo verum est foetum habere corpus, & animam a diuersis principijs.

**C** Sed quid dicemus de productione hominis, vbi anima cum sit intellectiua, & rationalis, quæ non potest esse ab homine, idest, à patre carnali, sed est per creationem à solo Deo, de qua ait Philosophus 16. lib. anim. quòd solus intellectus, idest sola anima intellectiua est ab extra. Ad quod dici potest, aliquo modo saluari posse filium, etiam in hominibus habere corpus à matre, & animam à patre, sed habere eam a patre, eo modo, quo potest. Non ergo habet eam essentialiter a patre, quia anima intellectiua hoc modo est per creationem a solo Deo, sed habet eam a patre dispositiue, quia virtus, quæ est in semine patris, sic disponit menstruum, matris, quod si Deus non infunderet ibi animam, esset miraculum. Naturaliter ergo etiam filius carnalis in generatione hominum procedit a matre, accipiendo ab ea corpus, & procedit a patre, accipiendo ab eo animam. Nam dicitur natiuitas, non solum quod natura facit, sed etiam illud, ad quod natura sufficienter disponit.

**D** Sed vt clarius appareat quod dicitur, aduertendum, quòd si vnus, & idem pater haberet plures filios, non propter hoc essent, respectu effectuum eiusdem speciei,

Aristot. in lib. de animal.

Arist. lib. 16. animal.

Anima intellectiua essentialiter est a Deo per creationem: ab homine autem est solū per corporis dispositionem.

In corpus organizatū & dispositū, si Deus non infunderet animam, esset miraculum.

In eodē patre habere plures filios, nō sūt plures paternitates.

ciei, in eo plures paternitates, quia illæ A  
 non possent differre specie, cum essent in  
 respectu effectuum eiusdem speciei, quia  
 etiam filii nati ex eodem patre sunt eius-  
 dem speciei. Esse autem aliqua eiusdem  
 speciei in aliquo subiecto est impossibile.  
 Propter quod nec sunt plures paternita-  
 tes in patre carnali, per quos refertur ad  
 plures filios, nec plures filiationes in eo-  
 dem filio, per quas refertur ad plura prin-  
 cipia, vt ad matrem, & patrem. Est ergo  
 in talibus solum multiplicatio respectuum,  
 non realium relationum. Sed nunquam B  
 ex omnibus his dictis possumus negare  
 in Christo non esse duas filiationes rea-  
 les, vnã temporalem, per quam refertur  
 temporaliter ad Matrem, & aliam æter-  
 nam, per quam refertur æternaliter ad  
 Patrem. Constat autem, quod tota causa  
 propter quam tales relationes realiter  
 multiplicari non possunt, est propter vni-  
 tatem, & identitatem speciei. Nam, quia  
 in eodem supposito plura aliqua eiusdem  
 speciei esse non possunt, ideo nec plures  
 paternitates sunt in eodem patre, nec plu-  
 res filiationes sunt in eodem filio, respectu  
 plurium principiorum: maximè cum illa C  
 plura principia, scilicet pater, & mater  
 sunt eiusdem speciei.

Sed quid dicemus, si hæc volumus ada-  
 ptare ad Christum? patet, quod filiatio,  
 per quam Christus refertur ad Patrem  
 æternaliter, & filiatio, per quam refertur  
 ad Matrem temporaliter, non solum non  
 sunt eiusdem speciei, sed etiam non sunt  
 eiusdem generis, quia corruptibile, & in-  
 corruptibile, vt potest haberi ex 10. Me-  
 taph. Differunt genere, & fortè multo ma-  
 gis temporale, & æternum differunt ge-  
 nere: ergo & ratione fundamentorum, D  
 quia duarum filiationum in Christo sunt  
 duo fundamenta realiter distincta, vide-  
 licet natura diuina, & natura humana, &  
 ratione differentiarum secundum genus,  
 sunt in Christo duæ filiationes reales.  
 Nam & scripta communia hoc conce-  
 dunt, quod propter hunc modum non  
 possumus concludere duas reales filiatio-  
 nes non esse in Christo, cum illæ duæ  
 filiationes non sint eiusdem  
 speciei, sed diffe-  
 rant gene-  
 re.

Dub. II. Lateralis.

*De tertio modo quo probari solet non esse  
 duas filiationes in Christo.*

RESOLVTIO.

*Vnitas suppositi in Christo non obstat, quin  
 dua in eo sint filiationes reales: quia  
 filiatio respicit suppositum mediante na-  
 tura, ad cuius suppositi unitatem est  
 assumpta natura humana, ex qua tam-  
 quam fundamento habet esse, & unita-  
 tem filiatio: unde, cum sint in eo dua  
 reales natura, erunt etiam dua reales  
 filiationes.*



ALTERIVS fortè du-  
 bitaret aliquis de ter-  
 tio modo, per quem  
 descendunt Scripta  
 communia ad iudican-  
 dum in Christo non  
 esse duas filiationes  
 reales, vel realiter differentes. Dicunt  
 enim, quod immediatum subiectum filia-  
 tionis est ipsum suppositum. Et quia  
 quantum ad secundam, & veram senten-  
 tiam in Christo non est nisi vnum suppo-  
 situm, quod est æternum, quia rei æternæ  
 non potest aliquid aduenire, secundum  
 rem temporalem, sed solum secundum ra-  
 tionem, vel secundum respectum, sicut  
 Deus æternus est Dominus temporaliter,  
 sed hoc non est per relationem ali-  
 quam existentem realiter in Deo, sed so-  
 lum secundum rationem, & secundum  
 respectum, Ex hoc ergo fundamento,  
 quod rei æternæ non potest aliquid reale  
 euenire temporaliter, concludunt, quod  
 in Christo, vbi non est nisi vnum suppo-  
 situm æternum, non est nisi vna filiatio rea-  
 lis, videlicet filiatio æterna, per quam re-  
 fertur ad Patrem; filiatio autem tempo-  
 ralis, per quam refertur ad Matrem, non  
 est relatio realis, sed rationis. Concludunt  
 ergo scripta communia, quod in Christo  
 non est nisi vna filiatio realis, per quam  
 refertur ad Patrem, & est in Christo re-  
 spectus quidam rationis, quo refertur ad  
 Matrem. Addunt etiam scripta commu-  
 nia,

Idem D.  
 Thom. loco  
 supra cita-  
 to.

plura eius-  
 dem speciei  
 esse in eo  
 de subiecto  
 est impossi-  
 bile.

In Patre vt  
 refertur ad  
 plures filios  
 & in filio,  
 vt refertur  
 ad plura  
 principia,  
 videlicet  
 ad patrem, &  
 ad matrem,  
 multiplicā-  
 tur respec-  
 tus: sed nō  
 relationes  
 reales.

Realis mul-  
 tiplicatio  
 relationū in  
 eodem sup-  
 posito impe-  
 ditur ab v-  
 nitate, &  
 identitate  
 speciei.

Aristot. 10.  
 Metaphys.  
 tex. c. 16.

Duæ filiatio-  
 nes in Chri-  
 sto differunt  
 genere.  
 D. Tho. vbi  
 supra.

nia, quòd prima positio ponens in Christo duo supposita, quòd intelligendum est de suppositis realibus, posset in Christo ponere duas filiationes, quòd intelligendum est de filiationibus realibus.

Examina-  
tur opinio  
D. Thomæ.

Filiatio re-  
spicit suppo-  
situm, me-  
diante na-  
tura.

Sed sic dicentes suam materiam, vel suum propositum, non benè prosequuntur. Nam cum dicunt, quòd filiatio propriè respicit suppositum, debuerunt addere, quòd respicit suppositum mediante natura. Nam si Christus non accepisset naturam diuinam æternalem à Patre, non referretur per filiationem æternam ad ipsum, & nisi accepisset naturam humanam temporaliter à Matre, non referretur per filiationem temporalem ad Matrem. Cum ergo in Christo sit vnum suppositum in duabus naturis realibus, & realiter differentibus, diuina, & humana, & hæ duæ naturæ sint realiter differentes, erunt in Christo duæ filiationes realiter differentes.

Soluitur ra-  
tio D. Tho.  
duobus mo-  
dis.

Ad formam autem arguendi, quòd filiatio respicit propriè suppositum, potest esse duplex responsio, vna, quæ data est, videlicet, quòd filiatio respicit suppositum, vel personam, quantum ad naturam, quam accipit filius à suo principio generatio. Et quia Christus accipit aliam, & aliam naturam à Patre, & à Matre, quia à Patre accipit naturam diuinam æternam, per quam est Filius eius æternus, & à Matre accipit naturam humanam temporalem, per quam ex tempore refertur ad Matrem. Et ideo propter aliam, & aliam naturam realem, quam accepit æternaliter à Patre, & temporaliter à Matre, sunt in Christo duæ filiationes reales, & realiter differentes. Posset tamen his dictis communibus aliter responderi, saluando, quòd sit proprium suppositi, vel personæ esse Filium. Concedunt enim Scripta communia, Christum verè, & realiter esse filium Virginis, sed hoc est, non per filiationem realem, sed secundum rationem, vel secundum respectum tantum, adducentes ad suum propositum declarandum, quòd Deus verè, & realiter est Dominus creaturæ, sed hoc non est per realem relationem aliquam, quæ sit in Deo, sed solum est in eo relatio, secundum rationem, vel secundum respectum.

Fundamen-  
tū D. Tho.

Respondēbimus ergo, quòd Deus sic

A est Dominus creaturæ, quòd non accipit creaturam, cuius dicitur Dominus, in vnitatem personæ suæ, sed Dei Filius sic factus est homo, & ita vt homo, est filius Virginis, quòd accipit humanam naturam in vnitatem personæ suæ. Et ideo dicitur de Christo in Symbolo: *Qui licet Deus sit, & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus*. Et ibidem subditur: *Vnus non confusione substantiæ, sed vnitatem personæ*. propter hanc autem vnitatem personæ, vt quia natura humana assumpta est à Verbo in vnitatem personæ, multa concedimus de persona Verbi, quæ non concedimus de persona Patris, vel Spiritus Sancti. Concedimus enim de Dei Filio, quòd est verus Deus, & vnus Deus cum Patre, & Spiritu Sancto, quòd fuit mortuus, passus, & natus de Maria Virgine, propter quod Damasc. lib. 3. cap. 34. ait: *Nasci non est natura, sed hypostaseos*, vt etiam supra dicebatur, & subdit ibidem: *Sancta Dei Genitrix hypostasim genuit*, & loquitur de hypostasi, vel de persona Verbi Dei, quam (vt ibidem ait) *Genuit Beata Virgo in duabus naturis, in Deitate scilicet, & humanitate*. Conceditur ergo, quòd filiatio respicit aliquid perfectum, & respicit ipsum suppositum. Si ergo non dubitamus ipsum suppositum Verbi esse natum ex Virgine, & esse in Christo Dei Filio duas natiuitates reales, non debemus dubitare concedere, in eo esse duas filiationes reales.

Deus exte-  
pore dicitur  
est domi-  
nus per so-  
lā relatio-  
nē domini;  
sed dicitur  
est homo  
ex tēpore,  
quia acce-  
pit naturā  
humanā in  
vnitatē per-  
sonæ, ex quo  
apparet de-  
scēsus ratio-  
nis adductæ  
à D. Tho.

D. Damasc.  
lib. 3. c. 34.

Immo, quòd plus est, ex ore istorum non consentientium nobis, possumus eos conuincere ad concedendum hanc veritatem. Dicunt enim quòd relatio non habet ex hoc, quòd ad aliud dicitur, vt sit aliquid in rerum natura, sed hoc habet ex eo, quòd relationem causat, & hoc habet ex eo, in quo relatio fundatur, inde enim habet relatio multitudinem. Hæc autem sunt verba non consentientium nobis in hac quæstione. Vtrum in Christo sint plures filiationes reales. Duo ergo dicunt de relatione, quantum ad suum fundamentum. Primum est, quòd relatio ex suo fundamento habet, vt sit aliquid in rerum natura, vel vt sit aliquid, non enim habet vt relatio, quia relatio secundum quòd huiusmodi non est aliquid, sed ad aliquid. Secundum, quòd dicunt

Ex dictis  
præfata opi-  
nionis con-  
uincitur in  
Christo duas  
esse filiatio-  
nes reales.

Duo dicit  
D. Tho. de  
relatione  
quædam ad  
suum funda-  
mentum.  
Primum,  
quòd relatio  
sit ali-  
quid in re-  
rum natura

dicunt de relatione respectu fundamenti, A  
est, quod ex eo habet multitudinem, & vnitatem, quod non potest intelligi, nisi de multitudine, & vnitate reali, cum relatio secundum eos ex suo fundamento habeat, vt sit aliquid, idest, vt sit aliqua res in rerum natura. Concludamus ergo, & dicamus, quod relatio ex suo fundamento habet realitatem, & ex suo fundamento habet multitudinem, & vnitatem. Cum ergo filiatio, per quam refertur Filius ad Patrem, fundetur supra naturam diuinam, quam accepit Filius nascendo à Patre, & filiatio, quam accepit à Matre fundetur supra naturam humanam, quam accepit nascendo à Matre, & hæc duæ naturæ sint duo fundamenta realiter distincta, super quibus fundantur hæc relationes, cogimur concedere has duas filiationes esse reales, & realiter differentes.

Secundum quod relatio ex fundamento habet multitudinem, & vnitatem.

Ratio Aegidij conuincens Auctores aliter opinantis.

Soluitur 2<sup>a</sup> ratio D. Thomæ.

De Christo mortuo dicitur, quod totus mundus non capit, vno saxo tegitur.

Sicut conceditur Deum esse clausum inter viscera Matris, esse mortuum & clausum in Sepulchro; Ita concedi potest in Christo esse reale filiationis respectu Matris.

Quod ergo dicunt de relationibus conuenientibus Deo ex tempore, quia non sunt in Deo secundum rem, sed secundum rationem, vel tantum secundum respectum, dicemus, quod oportet nos aliter loqui de persona Filij assumente naturam humanam in vnitatem personæ, quam de persona Patris, vel Spiritus Sancti non assumente, vel non assumentibus aliquam naturam creatam in vnitatem personæ. Nam quæ non conueniunt Deo secundum se verificantur de Dei Filio assumente humanam naturam in vnitatem personæ suæ; & ideo de natiuitate Filij Dei ex Virgine dicimus: *Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis in tua se clausis viscera factus homo.* Et dicimus Dei Filiū fuisse mortuum, & ex hoc pariter dicimus, *quem totus mundus non capit, vno saxo tegitur.* claudi autem, mori, & tegi vno saxo, Deo competere non potest secundum se, sed solum ei competunt secundum quod homo est. Isti ergo trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Nam si claudi, & mori, & vno saxo tegi verificantur de Dei Filio, quæ nullo modo possunt ei competere in eo quod Deus, non debemus trepidare concedere, in Christo esse realem filiationem respectu matris, licet ei non possit competere in eo quod Deus, sed in eo quod homo, quia non Deitatem, sed humanitatem accepit à matre.

Aegid super iij. Sent.

Dub. III. Lateralis.

De modis, quibus impeditur multiplicatio, seu origo relationum.



LETTERIVS fortè dubitaret aliquis, quot modis impeditur multiplicatio, vel origo realium relationum.

RESOLVTIO.

Quatuor modis impeditur multiplicatio relationum realium. Primò ex parte fundamenti. Secundò ex parte subiecti. Tertio ex parte indistinctionis. Quarto ex parte nouitatis, & temporis, quæ omnia luculenter enucleantur.

DICENDVM, quod, quantum ad præsens spectat, possumus assignare quatuor modos impediētes reales relationes. Quorum duo modi impediunt non ipsam originem realis relationis, vel ipsam relationem realem, sed solum multitudinem realium relationum. Alij autem duo modi impediunt non solum ipsam multitudinem, sed etiam ipsam originem realis relationis, vel ipsam realem relationem. Nam ex parte fundamenti, & ex parte subiecti, & si non impeditur ipsa realis relatio, potest tamen impediari multitudo realium relationum. Hi ergo sunt duo modi, fundamentum, & subiectum, valentes hæc impedire. Alij autem duo modi non solum sunt impediētes multitudinem talium relationum, sed etiam ipsas reales relationes, vt non possint ibi esse, nec inde oriri reales relationes. Et hi duo modi sunt indistinctio terminorum, & nouitas, vel temporalitas rerum. Sunt ergo assignati quatuor modi, quorum primus est ex parte fundamenti, secundus ex parte subiecti, tertius ex parte indistinctionis, quartus ex parte nouitatis, & temporis.

Et vt prosequamur de omnibus istis modis, primò prosequamur de ipso fundamento. Nam vnum in quantitate facit

Ff æquale,

Ex parte fundamenti primò impeditur multiplicatio relationum realium.

Potest alia quid per eamdem quantitatem referri ad multa æqualia, & per unam quantitatem ad multa similia.

æquale, & unum in qualitate facit simile. Si ergo quæreretur, quod est fundamentum æqualitatis, diceremus, quantitas, & si quæreretur, quod est fundamentum similitudinis, diceremus, qualitas, Potest ergo quis per unam, & eandem quantitatem referri ad multa æqualia, & per unam, & eandem qualitatem ad multa similia. Erunt ergo tot æqualitates reales in aliquo, quot sunt æqualia, ad quæ refertur, & erunt tot similitudines reales in aliquo, quot sunt similia, ad quæ refertur: constat autem, quod propter unitatem fundamenti: quia per unam quantitatem potest aliquid esse æquale multis, & per unam qualitatem poterit aliquid esse simile multis. In uno ergo, & eodem æquali poterit esse una, & eadem æqualitas secundum rationem. Respectus ergo erunt multi, quia per unam, & eandem æqualitatem realem poterit aliquid referri, vel respicere multa æqualia, quod totum contingit ex unitate fundamenti, quia per unam, & eandem quantitatem, in qua fundatur æqualitas, poterit aliquid esse æquale multis. Et quod dictum est de quantitate respectu æqualitatis, veritatem habet de similitudine respectu qualitatis, quia per unam, & eandem qualitatem, poterit aliquid esse simile multis

Viso primo, quomodo ex parte fundamenti, licet non impediatur ipsa realis relatio, impeditur tamen multitudo realium relationum. Nam æquale realiter refertur ad sua æqualia, sed propter unitatem fundamenti, & quia una est quantitas, in qua fundatur ista æqualitas, licet non impediatur ipsa realis relatio, impeditur multitudo realium relationum, quia per unam, & eandem realem æqualitatem, poterit aliquid referri ad multa æqualia. Volumus ergo agere de secundo modo, qui sumitur ex parte subiecti. Nam multitudo realium relationum non solum potest impediri ex parte fundamenti, ut per habitum declaratum est, sed etiam ex parte subiecti. Nam vnus Pater per unam paternitatem, potest referri ad multos filios. si enim pater generaret filium, loquendo de patre carnali, in patre erit vna paternitas, per quam refertur ad filium, & in filio erit vna filiatio, per quam refertur ad patrem, sed

Ex parte subiecti impeditur secundo modo relationum realium multiplicatio.

A si contingeret huiusmodi patrem generare filium, nunquam erunt in patre duæ reales paternitates, per quas refertur ad duos filios, patet hoc esse impossibile ratione subiecti, quia in vno, & eodem subiecto duo accidentia eiusdem speciei, quæcunque sint illa, esse non possunt. Si ergo in vno, & eodem patre essent duæ paternitates, essent in eo duo accidentia realia eiusdem speciei, quod itare non potest: Nam cum filij sint eiusdem speciei, paternitates illæ erunt eiusdem speciei, in eodem autem subiecto duo talia esse non possunt. Assignati sunt ergo duo modi impediendi multitudinem realium relationum, quorum vnus sumptus est ex parte fundamenti, alius ex parte subiecti.

B Possumus autem assignare, & tertium modum, qui non fuit tantus in principio quæstionis, ut sumatur hic modus ex sufficientia principiorum, ex quibus oritur realis relatio. Nam quia pater carnalis non est sufficiens ad generandum filium sine matre, nec est conuerso, ideo respectu filij erunt in patre, & matre duæ relationes reales, paternitas scilicet & maternitas, sed in ipso filio non erit nisi vna realis filiatio, per quam refertur ad patrem, & matrem. Licet enim pater, & mater sint duo principia, ista tamen duo principia propter aliqualem eorum insufficientiam non producerent, nisi vnum effectum, quia non producant nisi vnum filium. Ideo dicitur in principio Genesis; *Erunt duo in carne vna.* id est, in vno opere carnali, vel in generatione vnus foetus.

Aduertendum tamen, quod iste modus tertius potest reduci ad primum modum sumptum ex parte fundamenti. Nam, cum in vno filio non sit nisi vna natura humana, in quo fundatur relatio propter unitatem fundamenti non erit in eo, nisi vna filiatio, per quam refertur ad duo principia, ad patrem, & matrem.

Postquam tractauimus de modis impediendis multitudinem realium relationum, volumus tractare de modis impediendis ipsas reales relationes, qui dicebantur esse duo, quorum primus erat indistinctio terminorum. Secundus erat nouitas, vel temporalitas rerum. Propter primum hæc relatio, quæ est identitas, non potest esse relatio realis, quia dicemus, quod

Quia dua accidentia realia eiusdem speciei in eodem subiecto esse non possunt: ideo, pater carnalis per eandem paternitatem refertur ad plures filios

Ex sufficientia principiorum, ex quibus oritur realis relatio, impeditur eius multiplicatio a ideo quia pater carnalis de se est insufficientis ad productionem filij, sicut & mater, multiplicatur relationes in ipsis, quia non per eandem relationem referuntur ad filium, sed per duas distinctas, quod non eueniret si esset principium sufficientes ex se.

Vnica filiatio est filius refertur ad patrem, & matrem, quia vna est natura humana, quæ recipit nascendo ab utroque.

Tertius modus principalis, quo impediuntur reales relationes, est indistinctio terminorum.

Vna, in qua  
tate facit  
æquale: in  
qualitate  
facit simile:  
& in substā  
tia facit  
idem.

Idem sem-  
per intelli-  
gitur reali-  
ter iudiffe-  
rens à seip-  
so,ideo idē  
tatis est re-  
latio secun-  
dum ratio-  
nem.

Quartus mo-  
dus impe-  
ditens rela-  
tionū rea-  
lium multi-  
plicitatem  
est nouitas,  
vel tempo-  
ralitas.

quòd sicut vnum in qualitate facit simile, & vnum in quantitate facit æquale, sic vnum in substantia facit idem. Similitudo ergo, & æqualitas possunt esse relationes reales, quia duo æqualia, & duo similia, possunt realiter differre, imò realiter differunt, quia similitudo est rerum differentium eadem qualitas: sic etiam possemus dicere de æqualitate, quòd æqualitas est rerum differentium eadem quantitas; sed hoc non possemus dicere de identitate, quia idem semper intelligitur realiter indifferens à seipso. Propter quod si æqualitas, & similitudo possunt esse relationes reales, semper identitas, loquendo de identitate simpliciter, est relatio secundum rationem.

Viso quomodo indistinctio temporum, non solum impedit ipsarum relationum multitudinem, sed etiam impedit ipsam relationem, vel ipsam originem realium relationum, quia quando sunt indistincti termini, & indifferenter, realiter non possunt ibi esse, nec inde oriri reales relationes, volumus ostendere, quomodo habeat hoc idem contingere ex nouitate, vel ex temporalitate rerum, qui modus potissimè contingit, quando temporalia comparantur ad aeterna, & tamen non sunt recepta in nouitatem alicuius personæ aeternæ, secundum quem modum communiter creaturæ comparantur ad creatorem, vt ex tali comparatione fit realis relatio solum in creatura, in creatore verò non fit realis relatio, sed secundum rationem, & secundum respectum quendam. Est enim Deus verè, & realiter Dominus creaturæ, licèt in tempore incoeperit esse huiusmodi Dominus, sed hoc est solum per realem relationem, quæ est in creatura, non per realem relationem, quæ est in Deo. Deus enim ex tali referri ad creaturam non habet in se realem relationem, sed relationem secundum rationem tantum, & secundum respectum quendam. Declarati sunt ergo omnes modi, quantum ad præsens spectat, quibus impeditur multitudo

relationum realium, & quibus impeditur etiam non solum multitudo, sed origo talium relationum realium.

Aegid. super iij. Sent.

Dub. IV. Lateralis.

*De impedimentis realis relationis temporalis in persona Verbi.*



ALTERIVS fortè dubitaret aliquis, Vtrum propter ea, quæ dicuntur in scriptis communibus de impedimentis multitudinis, & originis realium relationum possit probari in persona Verbi non esse realem relationem, vel realem filiationem temporalem respectu temporalis Matris. Et videtur prima facie, quòd hoc possit probari, & concludi, quòd non fit realis relatio, vel realis filiatio in Dei Filio, quòd est suppositum aeternum respectu suæ Matris, quæ incoepit esse in tempore: Nam (vt dicitur) nullum temporale potest aduenire rei aeternæ, quòd ponit aliquid reale in re aeterna; & ideo si relationes creaturarum ad Deum, licèt possint esse, & sint realiter in creaturis, quæ sunt res temporales, tamen non possunt esse, nec sunt realiter in Deo, qui est quid æternum, quia (vt diximus) nullum temporale adueniens æterno ponit aliquid reale in æterno.

Dicitur  
diligentius  
opinio D.  
Thomæ.

RESOLVTIO.

*Ex ratione adducta à D. Thoma, quòd nullum temporale adueniens aeterno, ponit aliquid reale in eo, non conuincitur filiationem Verbi temporalem ex Matre, non esse relationem realem in ipso: tum quia allata propositio fallit, quando illud temporale assumitur in unitatem personæ illius aeterni. Tum etiam quia suppositum diuinum supplens vices suppositi humani, habuit in se illam filiationem realem, quam habuisset suppositum creatum in humanitate Christi, si à Verbo non fuisset assumpta. Tum tandem, quia Verbum assumpsit humanam naturam ad unitatem personalem, ex quo sequitur de Verbo verificari ea, quæ dicuntur de natura diuina, & humana.*

SCIENDVM ergo, quòd, vt potest patere aliquo modo ex habitis, hæc propositio, nullum temporale adueniens aeterno,

Ff 2 ponit